image
not
available

DE

STOICA DISCIPLINA

APUD POETAS ROMANOS.

HANC THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

M. FERRAZ,

IN ARGENTORATI LYCEO LOGICÆ PROFESSOR.

LUTETIÆ PARISIORUM,

APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM,

VIA DICTA DES GRES, 7.

MDCCCLXII.

DE

STOICA DISCIPLINA

APUD POETAS ROMANOS.

HANC THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

M. FERRAZ,

IN ARGENTORATI LYCEO LOGICÆ PROFESSOR.

LUTETIÆ PARISIORUM,
APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM,
VIA DICTA DES GRÈS, 7.
MDCCCLXII.

STRASBOURG, TYPOGRAPHIE DE G. SILBERMANN.

INDEX CAPITUM.

ARGUMENTUM.

In ea quæ dicitur humani generis vita, certas quasdam reperias ætates, quibus homines plerique nihil pro certo habeant quod non studiose consideraverint, et veras rerum omnium causas cognoscere summa ope nitantur. Tunc, cunctis naturæ arcanis diligenter indagatis, ac prodigiis, quæ finxerat mirataque fuerat vetustas, accurate exploratis, quæcunque fiunt in cœlo et in terra, ea immotis sub legibus teneri, unoque et eodem tractu procedere intelligunt. Innumera numina, quæ priores excogitaverant, et quorum cuique proprium munus propriamque sedem tribuerant, ea, ut solis, sic rationis dilucescente fulgore, fallacibus similia somniis, evanescunt, ac, per immensa cœli spatia, a tot diis quondam celebrata, unus quæritur, nec semper reperitur deus[1]. Præterea, dum de civili communitate disserunt, dum jura, quibus inter se conjunguntur cives, in disceptationem vocant, dum humana non secus ac divina secum volvunt, ut nullos deos, sic nullos principes, nisi quos forte rationis sacraverit auctoritas, legitimos existimant. Quid plura? Illa omnium abstrusarum ac reconditarum rerum indagatrice, omnium

[1] «Le silence éternel de ces espaces infinis m'effraie.» (Pascal, *Pensées*, édit. Havet., p. 358.)

vulgarium ac tritarum opinionum contemptrice, philosophia, magis magisque in dies grassante, et sibi quæ ad naturam et quæ ad rempublicam, quæ ad religionem et quæ ad historiam pertinent vindicante, homines paulatim exuunt veteres sensus, ac totius vitæ summam, rerumque universitatem longe aliter atque antea animo et cogitatione comprehendunt.

Vulgi opinionibus sic emendatis et ad rectæ rationis normam revocatis, de poetis quid fieri potest, qui severioribus artibus vera tractanda semper reliquerunt, et sua carmina fictis intexere solenne habuerunt? Utrum recentia eademque vera contemnent, falsaque et obsoleta carminibus persequentur; an nova sibi assument, quæ in operibus novi generis evolvant, philosophorumque induent personas, imbutos philosophicis institutis animos ad se tracturi? Inter philosophica, quæ potissimum usurpabunt, ut legentes non solum doceant, sed etiam moveant ac delectent? Quid pulchri, verbi gratia, et poetico quasi sono accommodati in stoica disciplina invenient? Quid in ea a veteribus poetis jam antea fuit inventum? Qui, inter romanos vates, Zenonis fontem primoribus attigerunt labris? Qui fecundis ejusdem in aquis se totos proluerunt? Et quem exitum his et illis res habuit? Hæc omnia mihi cogitanti de poetis latinis stoicissantibus (ut verbo utar apud Lipsium usitatissimo [1]) inquirenda occurrerunt, nec minori visa sunt studio digna quam res ipsa ad quam ab initio spectaveram, ita ut non solum quid philosophia quædam

[1] Just. Lipsius, *Manuductio ad stoicam philosophiam*, *passim*.

apud quosdam valuerit poetas, sed etiam quid philosophia quælibet apud quoslibet poetas valeat decernere conatus fuerim.

Hanc quæstionem non intempestive a me institutam arbitrabitur, ut spero, quisquis secum reputaverit quot quantique hujus nostræ ætatis exstiterint auctores, qui, sive in poematis, sive in fabulosis narrationibus soluta oratione scriptis, de sacris dogmatibus et de publicis rebus disputaverint; atque operæ pretium existimabit, proposito poetarum stoicorum exemplo, mecum quærere utrum dissentiant an consentiant poesis et philosophia, quibusque sub conditionibus sibi invicem esse adjumento et amice conspirare possint.

DE STOICA DISCIPLINA

APUD POETAS ROMANOS.

CAPUT I.

IN QUO DISCREPENT POESIS ET PHILOSOPHIA.

Harum doctrinarum et artium, quæ sunt homine ingenuo dignæ, vim et naturam considerantibus aut perpaucæ aut nullæ magis inter se discordare ac repugnare videntur quam poesis et philosophia. Quarum una sensibus et ea quam philosophi vim imaginativam appellant, altera intelligentia et ratiocinatione plurimum valet; ita ut illa, pulchra dulciaque simul opera fingendo, incredibili quadam jucunditate afficiat animos, hæc autem, veritates adhuc inauditas reperiendo, aut dispersas connectendo, insigne quoddam lumen mentibus præferat. Poeta suo munere sic fungetur, si singulas argumenti cujusdam partes dissipatas ac dissolutas inter se devinxerit atque unam ad formam reduxerit, non deficiente generoso illo animi impetu et divino illo quasi furore, sine quo poema quodvis, sicut corpus anima carens, friget et exstinguitur. Philosophus contra ea tantum lege erit omni laude cumulatus, ut rei, ad quam fuerit intentus, sejungat et abstrahat proprietates, atque has generatim digestas perite condat et

componat: quo in labore ingenii acies potius quam animi incitatio requiritur. Inde fit ut poetæ verba, ad concretas et singulas quasque res depingendas atque ad animos percutiendos comparata, vividis distinguantur imaginibus et rapido motu contorqueantur; at contra philosophantis sermo, ad abstracta eademque universa exprimenda aptus, speciosa vocabula luminaque omnia orationis vitet, nec significantibus verbis unquam admirationem poscat, significatis rebus reservandam.

Quamobrem ingeniosissimo viro, sed in philosophia forsitan parum diligenti, Horatio Flacco, assentiri nolim, de philosophis detrahenti sane aliquid, dum majoribus laudibus poetas, Homerumque præsertim, amplificat:

> Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
> Plenius et melius Chrysippo et Crantore dicit [1].

Cum Homerus mihi proponit ante oculos Ulyssem ceram auribus obdentem, ne Sirenum voces libentius audiat et earum scopulis turpiter adhærescat; aut cum tempestate colluctantem, adversis undis immersabilem, ut nidulum illum, saxulis impositum, Ithacam scilicet suam, longos post annos, revisat, atque ut castam uxorem, carum filium, venerandum patrem, sacrosque lares tandem amplectatur; tum non possum quin talem hanc fortitudinem et temperantiam mirer exclamemque : O egregium virum! o dignam ac vere pulchram agendi rationem!

[1] Horat. *Epist.*, I, 2, v. 3.

A me autem hoc, quodcunque est, admirante et pulchrum dicente, si quis forte quid sit pulchrum, generatim consideratum, quæreret, non illico certe quid quærenti responderem haberem, nec ipsum Homerum credo fuisse habiturum. Aliud est enim singularem quamdam rem, omnes ejus partes ordine persequendo et recensendo, minutatim describere; aliud, ejusdem rei naturam, propriam simul ac communem, brevibus verbis iisdemque dilucidis definire : illud poetæ, hoc philosophi est.

Itaque Socratem, illum philosophiæ magistrum et antistitem, apud Xenophontem et Platonem legimus, quæcumque res consideranda proposita fuisset, ejus vim ac naturam a colloquentibus definiri jubere aut ipsum eam definire solitum. Quis est quem fugiat Platonis dialogos (ut de celebrioribus solum loquar), qui *Convivium*, *Hippias major*, *Phædrus*, *Gorgias*, *Theetetes* inscribuntur, in amore, pulchritudine, eloquentia et scientia definiendis tantum non unice versari? In quibus quot sophistas induxit nobilis ille philosophus, qui, ingenio oratorio aut poetico magis quam philosophico præditi, Socratis disserendi rationi vix sese fingunt et accommodant; dum illi, pulchro aut etiam sola pulchri specie delectati, de re unaquaque longa, futilia et aliquando inepta clamitant, hic autem, ut hominem decet sapientem et unica discendi cupiditate incensum, accurate perquirit quid res quæque habeat, et quod hæc vere est ab eo quod mentitur diligenter secernit. Cum homines in *Convivio* jocose illudit Plato, de pulchris versibus, de pulchris orationi-

bus, de pulchris tabulis et signis tam multa loquentes, nec unquam quid sit pulchrum exquirentes, omnibus fere poetis indicit bellum, quippe qui ad pulchra carmina condenda magis quam ad reddendam carminum ipsorum pulchritudinis rationem idonei semper fuerint. Multi eorum sunt qui, de pulchro interrogati, non valerent discernere pulchrum quoddam singulare a pulchro in universum sumpto, et, sicut Hippias, fortasse responderent, pulchrum illud de quo philosophi disputant, pulchram esse puellam, aliaque non minus insulsa effutirent.

Poesis et philosophia, duobus diversis ducibus, hinc sensu, illinc ratione, progredientes, atque in partes contrarias tendentes, ea quæ ad religionem et ad mores spectant contrario quodam modo concepere. Igitur prior deos sibi finxit non multum dispares hominibus qui ante oculos obversantur, vitiis non secus ac virtutibus abundantes et omnibus indulgentes voluptatibus; posterior vero deum habuit intellectum illum incorporalem, semetipsum intelligentem, aut summum illud Bonum, quo alia bona sunt et quod nemo unquam vidit, nisi homo *introrsus oculatus*, ut noster ait Augustinus, et *invisibiliter videns*.

Cum tantum has inter disciplinas disconveniat, mirari desinamus cur tantæ inter homines qui eas coluerunt exarserint simultates. Non homines, sed rerum natura in culpa est. Colophonius Xenophanes jam Homerum reprehendebat quod diis humanos tribuisset sensus, egregieque dicebat boves aut leones, pingere si callerent, diis cornua aut jubas esse daturos. Non mi-

nori in poetas adhibita severitate, Pythagoras, Homeri ejusdem Hesiodique animas se in inferis vidisse affirmabat, pro furtis adulteriisque, quæ falso numinibus adscripserant, acerbissima persolventes supplicia. Hæc eadem multaque alia, summa cum gravitate et eloquentia, Plato Homero objiciebat, tum maxime quod res hujus mundi imitabatur ad idearum imitationem jam effictas, ita ut divinis ab illis exemplaribus quam longissime ejus opera abessent, tum quod omnia humana divinaque miscebat, cunctaque mortalium flagitia et facinora numinis alicujus auctoritate et exemplo confirmabat. Quid dicam de duobus scriptoribus inter nostros celeberrimis iisdemque philosophis præstantissimis, Bossuetio scilicet et Pascalio, quorum unus nescio quid inane reperiebat in poesi, alter autem eam definiendo declarabat inanem esse verborum sonitum, quem mirari hominibus libitum fuerat?

CAPUT II.

IN QUO POESIS ET PHILOSOPHIA CONVENIANT.

Quamvis nihil poesi tam inimicum quam philosophia videatur, ne credamus tamen inter eas capitalia exsistere odia, quæ nunquam exstingui aut sedari possint. Persæpe dictum est a veteribus philosophis, nec defuere recentes qui hanc quoque profiterentur sententiam, non quidquam pulchrum esse, nisi idem sit verum. Quod quomodo jure dici aut cogitari queat non video, si tanta sit quanta vulgo creditur repugnantia

inter artem, quæ nihil habet antiquius quam pulchra effingere dicendo, et scientiam, quæ vera perquirenda cogitando sibi proponit.

Plato, qui maledico dente sæpe carpit poetas, eis pulchri speciem, in animo insidentem, exprimendam modis ac numeris assignat. Quo auctore, infimi non solum poetæ, sed etiam hominis est, tantummodo pulchra admirari corpora. Pulchras animas, pulchra facinora, pulchra instituta ac præcepta studio amplecti jam aliquid habet nobilius et excelsius. Sed eam pulchri formam, quæ neque oculis, neque auribus percipi potest, et qua nihil pulchrius quisquam unquam invenit aut excogitavit, incredibili quodam amore persequi debemus eique toto animo adhærescere. Cum hæc pulchri forma ac quasi facies, non solum sit cognita, sed etiam dilecta, et tantos amores excitet sui, quid est cur tantum a philosophis, verum a falso dijudicantibus, definiatur, nec describatur quoque a vatibus qui generosos animi motus verbis efferre solent? Ita, cum philosophis et poetis idem fere sit propositum, non tantum inter eos, quantum perhibetur, disconvenit.

Dicet fortasse quispiam carmina, his de rebus condita, ideo pulchra non fore, quia, tametsi paucis hominibus emunctæ naris et reconditæ doctrinæ probarentur, ea vulgus iniquo acciperet animo, quippe quæ in ejus intelligentiam vix caderent. At pulchrum majus est et sublimius quam ut arbitrio stolidæ multitudinis sit obnoxium; quodque de honesto dicit Tullius[1] id

[1] *De Officiis*, l. I, c. 4.

de pulchro quoque libenter prædicaverim, nempe hoc, etiamsi a nullo laudetur, natura esse laudabile. Nisi forte liber quisque ex numero potius quam ex prudentia lectorum æstimandus est, ac scriptor qui vulgari sermone et fabulis ineptis ineptum vulgus moratur, est cum Pascalio Bossuetioque, intelligendi et dicendi gravissimis auctoribus et magistris, comparandus. Si homines omnino rudes et ne primis quidem artium elementis imbuti, non ea semper moventur pulchritudine, quæ ex colorum, sonorum formarumque convenientia conflatur, quanto minus pulchritudine ea, quæ ex idearum concordia et consensu in unum coeuntium nascitur, affici possunt! Sed hujus generis pulchritudo non est ideo neganda, quia vulgo non agnoscitur, ut parvi non sunt æstimanda ea quæ mathematici profitentur theoremata, quod homines plerosque latent, qui ea in obscuritate rerum et ea recondita in disciplina non versantur.

Quod si nullum aliud haberem argumentum, cur philosophorum instituta poeticis ornamentis non repugnare arbitrarer, eo vel solo essem contentus, quod de rebus rusticis, quibus paucæ tenuiores sunt, tam luculenti versus a Virgilio fuerunt scripti, et quod ars poetica, cujus præcepta sicca paulum et arida habentur, tam feliciter a Flacco Bolæoque fuit tractata. Cum hæc, qualiacunque sunt, de quibus loquor, non sterilem poetis præbuerint materiam, quamvis non ita late pateant, neque ad commovendos animos magnopere sint idonea, quid de sublimibus illis decretis ac præceptis existimandum est quæ cum ad Deum ejusque provi-

dentiam, tum ad hominem ejusque officia pertinent, et quæ præsentem hanc vitam, vitamque illam futuram complectuntur? Rebus tam magni momenti, in quibus nostra sors omnis vertitur, semel propositis, nulla terrena et caduca res est quæ nobis non videatur omnino puerilis et irridenda. Rerum sublimitate elati, ad quamdam loquendi divinitatem evehimur, et nobiles sententias, nobilibus, ut decet, imaginibus ornatas, profundimus. Qui philosophus modo fuerat, is imprudens orator aut poeta evadit.

Quoties enim, cum apud veteres, tum apud recentes, scriptorum sine controversia maximorum eloquentiæ, ut materies quædam, quam tractaret et in qua versaretur, subjecta fuit philosophia! Memorare satis sit, apud Græcos, Platonem illum cujus tanta fuit in dicendo copia, gravitas et amplitudo, ut non inepte dictum fuerit Jovem, si græce locuturus esset, ita locuturum; atque, apud Romanos, Marcum Tullium, qui, non tantum forense dicendi, sed etiam umbratile disputandi genus secutus est, et de officiis aut de natura deorum ea scripsit quibus optimæ ipsius orationes nequaquam sint anteponendæ. Mihi autem celeberrimos nostros scriptores memoria repetenti nulli prope occurrunt clariores quam qui de hominum vita, de moribus, de Deo, de omnibus tandem quæ continet et amplectitur philosophia, disseruerunt. Quis sententiis crebrior imaginibusque illustrior quam Montanus et Pascalius, si forte necesse sit mentes excitare et in animis quosdam relinquere aculeos? Quis Fenelonem suavitate ea, qua animos perfundit legentium, vel Bossuetium vivido im-

petu, quo eos perfringit, aut superare aut æquare potest? Recentiores etiam auctores, unus, in opere de pueris instituendis scripto, cui nomen est Æmilius, alter, in libris de christianæ religionis ingenio compositis, incredibile est quam prope, philosophica cum tractarent argumenta, ad poetarum dicendi genus accesserint.

Cum tot tantique viri, in operibus soluta oratione scriptis, philosophorum præcepta et instituta non oratorio solum, sed pene poetico fulgore illustraverint, quid esset cur ipsi poetæ talem hanc non sibi assumerent materiam in qua diligenter elaborarent?

Homini, non ex tritis obsoletisque opinionibus, sed ex rerum veritate rectaque ratione, humana opera consideranti, quid poemati tam cognatum quam systema philosophiæ videatur? Si non injuria præclarus scriptor, idemque mathematicus præclarior, dixit[1], non minori opus fuisse Archimedi ingenii ubertate quam ipsi Homero, quanto rectius de Platone aut de Leibnizio id quoque dicendum est, qui, omnibus humanis divinisque rebus cogitatione comprehensis, earum cuique proprium locum adscripserunt, et intellectu Deum illum persecuti sunt, qui summus artifex summusque geometra egregie est appellatus. Itaque non pauci poetæ philosophicis e fontibus hauserunt præcepta quæ suis in carminibus per quosdam quasi rivos diffunderent, non Platonem modo et Aristotelem secuti duces, sed hos etiam quos Tullius minutos et plebeios vocat philoso-

[1] D'Alembert.

phos. Si qua a Platone mutuatus est Virgilius quæ non parvum carminibns afferunt ornamentum, quanto plura, nec minus feliciter, ab Epicuro suo sumpsit Lucretius, qui totam pene ejus disciplinam splendidis poeseos luminibus distinguere conatus est! Si quis carmina quæ his nostris in temporibus in lucem edita fuerunt recensuerit, ea aliis pulchriora et exquisitiora fortasse judicabit, quæ, reconditis ex artibus orta, philosophico quasi succo turgent. Ne nostrorum æqualium nomina latino in opusculo, contra morem, interjiciam, aut longo verborum circuitu subridicule declarem, mihi duos tantum illustrissimos Germaniæ et Britanniæ poetas proferre liceat, quorum unum eximia fabula quæ *Faustus* inscribitur, alterum opera pleraque, de Providentia dubitantes significant, et gallorum poetarum nostræ ætatis principem, qui nunc eadem de re luculenter similem expressit dubitationem, nunc ad aliam fideique christianorum propiorem conversus est sententiam.

Egregius hujusce ævi philosophus, morte nuper præreptus, dicere solebat[1], non modo quæ ad hominum sortem seu præsentem, seu futuram pertinent, ea poesi non repugnare, sed hanc solam vere poesim esse nominandam, quæ talia tractaret, ideoque philosophum et poetam, diversum aliquando per iter, eodem tamen tendere, ac socialiter mutuam sibi navare operam. Cui hac de re libenter assenserim. Quo enim hominum genus in melius mutatur, et incorporalia corporalibus

[1] Jouffroy, *Mélanges philos.* — *De la destinée humaine.*

sæpius anteponit, eo magis vates pulchritudine delectatur ea quæ in moribus consistit et quæ non videtur oculis, mente tamen concipitur, vanamque istam pulchri speciem dedignatur quam corpora præ se ferunt. Homerus, ait philosophus inter recentes nobilissimus[1], tantam viro, quem nobis magna vult esse in admiratione, tribuendo velocitatem, non sensit se illum ea virtute exornavisse, qua cum equis venaticisque canibus vix certaret. Quid plura? Cum Pindarus tanti faceret corporis vires et agilitatem, ut præ illis omnia sordere et nullo in numero esse ei viderentur, noster contra Ludovicus Magnus poetæ cuidam graviter succensuisse dicitur, quod inter tot alias dotes quibus se præditum et instructum putabat, nullam iste magis laudandam, quam nandi artem repererat. Quis e clarissimis ætatis nostræ vatibus, hominum jura, populorum utilitatem, et scientiæ augmenta omitteret, ut nescio quos athletas, in triviis decertare solitos, sibi sumeret celebrandos?

CAPUT III.

QUIBUS TEMPORIBUS QUIBUSQUE SUB CONDITIONIBUS POESIS ET PHILOSOPHIA CONSOCIARI ET COALESCERE POSSINT.

Ut cæteris artibus ingenuis, sic illi quam poesim nominamus, ea quæ mens vere cogitat, et quibus vere movetur animus, sincere videque exprimenda sunt. Pul-

[1] Malebranche. — *Rech. de la vérité.* — Préface.

chrum poema hac tantum lege condi potest, ut verbis res subjiciantur, sine quibus clarissima orationis ornamenta, sicut splendidæ vestes, quibus aut nullum aut falsum supponitur corpus, inania sunt et perridicula. Quemadmodum egregie a Marco Tullio animadversum est, res verba rapiunt, eque rebus plane cognitis et perspectis efflorescit et redundat oratio. Itaque quotiescunque scriptores de ratione scribendi magis quam de rebus scriptis incipiunt esse solliciti, toties litteræ dilabi ac concidere solent. Id Bolæum nostrum non fugiebat, cum sale multo ineptos defricaret poetas, qui, Iridis amore capti, quotidie bene poti et bene pransi translative moriebantur. Quid est cur Homerus ita Deos effingat, ut eos vivere et spirare credas, atque eos ita inducat seu loquentes, seu agentes, ut eorum verba audire, eorum facta videre tibi videaris, nisi quia præclarus ille vir quæ de diis narrat ipse vera esse arbitratur? — Cur maximus ille medii ævi poeta, qui non injuria alter habetur et dicitur Homerus, dira inferorum supplicia, atque æternos damnatorum dolores horribilem in modum depinxit, nisi quod non solum inferis adhibebat fidem, sed etiam eos pertimescebat atque horrebat? Rudis et incompositus aliquando, sed sublimis tamen et grandiloquus vates, qui ad summum gloriæ fastigium britannicam evexit tragœdiam, cum infaustas istas sagas, noctu, deserto et deformi in loco, saltantes, interruptasque voces emittentes, describit et subjicit sub oculos, nonne ideo auditores terret, quia ipse terretur?

Cum vero philosophi, nec Jovis grande supercilium,

quo moventur cuncta, nec rubentem fulmine dextram timentes, hunc deum, coacervatis rationibus, de solio dejecerunt; cum pueri et anus Cerberum et inferos jam metuere desierunt; cum horrenda quondam saga mansuevit, puellisque ad credendum segnibus eventura medio in foro pronuntiare, et duobus assibus vendere vaticinia cœpit; tum obsoletas istas fabulas resumere ac versibus retractare, aliquid haberet ita fictum et simulatum, ut nihil magis falsum aut frigidum, meo quidem judicio, posset excogitari. Tunc volo poeta, ut semper, quæ sentit et cogitat, quæ amat vel odit, sine fuco exprimat et enuntiet. Hoc mihi, Bolæi nostri pace, dixisse liceat : rebus quibus nullus est in mentibus locus, iis nullus in versibus esse debet. Satis diu Tempus horologium gessit, Themisque manibus æquam libravit lancem; hanc tandem excidere sinat, ipsaque valeat. Satis diu Neptunus, ambabus inflatis buccis, increpuit fluctus, squalidusque Charon in unda Stygia navigavit : emeritis tandem stipendiis, alias sedes petant.

Viro natura generoso, et cui pectus est honesto incoctum, justitia vel nuda, et sine istius modi insignibus, satis erit veneranda. Qui aliquando celsa de rupe immensum mare prospexit, secum reputans omnes pugnas ejus in fluctibus debellatas, urbesque in littoribus dirutas vicissim et ædificatas; qui in vitæ mortisque arcana nonnunquam mentis aciem retorsit, et unde ipse veniat, quis sit, quo eat, sollicite perquisivit; is vestros istos aniles deos, quasi nervis alienis sese moventes, admirabile est quantum fastidiat et adsperne-

tur. Si quis, in infinita rerum natura, quarum medium est ubique, ut ait Pascalius, circuitus nusquam, semetipsum, velut arenulam quamdam, sponte consideraverit, quam brevi ventorum flatus sit ablaturus; is in se uberiorem reperiet nobilium carminum fontem quam qui nunquam sine duce ausus est progredi et semper priorum vestigia adoravit.

Quid ad me numina nec a lectoribus, nec ab ipso poeta pro veris habita, quæ Statius et Silius in suis poematis induxerunt? Quanto rectius, qui miseram et lamentandam, statim ab ortu, hominis conditionem his versibus eloquenter deflet et conqueritur:

> Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis
> Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
> Vitali auxilio, cum primum in luminis oras
> Nixibus ex alvo matris natura profudit;
> Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
> Cui tantum in vita restet transire malorum [1].

Illa carmina non sunt ea quæ semel pulchra visa fuerint, sæculoque tantum uni placuerint, sequentibus ætatibus despicienda. Eorum manet semperque manebit vivax pulchritudo, quippe quæ veros æternosque animi sensus mirabili quodam modo expresserint.

Dum pravus deorum cultus aliquam apud gentem vigebit et a sapientibus ægre tolerabitur, hæc admirationem et plausus hominum movebunt:

[1] Lucret. *De nat. rer.*, l. V, v. 223.

Humana ante oculos cum fœde vita jaceret
In terris, oppressa gravi sub relligione,
Quæ caput e cœli regionibus ostendebat
Horribili super aspectu mortalibus instans[1],
. . . .

Homini eo tempore viventi, quo ratio plurimas dijudicat res, serius ocius erit decernendum quæ philosophia videatur verissima. Ut quondam fuisset religioni, sic tum philosophorum familiæ erit adscribendus. Qua disciplina semel accepta, ut, non solum vitam suam, sed etiam civitatis mores ad hanc quasi normam dirigere conetur, quomodo poterit, si quid scribere et componere tentabit, opiniones quas verissimas arbitrabitur, sensusque quos habebit carissimos alta sub mente retinere, et vana de diis, more vulgi, nauseando effutire? Quod si faceret, pretiosiorem sibi servaret sui partem, vilioremque in medium proferret. Itaque, quoties philosophica, ut ita dicam, ætas inciderit, toties poeta, si modo nobilissimarum ætatis suæ curarum fuerit particeps, philosophiamque aliquam amplexus fuerit, versibus philosophica exponet præcepta; sin aliter, animo dum reluctabitur, ingenii sui quasi nervos elidet.

Ne quis forte sibi cogitatione effingat a me angustioribus terminis poetas circumscribi, eisque id imponi munus, ut prohibeant, semper de futura loquendo, quominus de præsente vita fruamur, dicam id quod res habet et quod sentio. Homo sic a natura fuit cons-

[1] Lucret. *De nat. rer.*, l. I, v. 63.

titutus et comparatus, ut humana potius quam divina curaret : nec injuria. Hoc enim interverso ordine, homo semper æterna prospiciens, eorumque amore ardentissime flagrans, flocci penderet caduca; artesque et scientias, quæ ad usum vitæ spectant, et omnem civilem cultum languescere et torpescere sineret. Quod universo hominum generi, id poetis quoque evenire solet : aliquando divina, sæpius humana carminibus prosequuntur. Id tantummodo est animadvertendum, quæ de divinis loquuntur, ea nunc religiosis, nunc philosophicis e fontibus vulgo hauriri. Humana autem omnibus temporibus, ad narrandum, ut aiunt, non ad probandum, et omni philosophica remota ratione, tractari queunt; ita tamen ut, si rebus iisdem philosophia accesserit, reconditioris doctrinæ et exquisitioris ingenii fortasse condatur opus. Quis dubitet quin Bolæus, si, amoto ludo, philosophicum in modum, de vita et moribus inquisivisset, in rei cujusque viscera altius penetraturus, et majoris pretii scripta relicturus fuisset? Fingamus, nostri auctoris loco de homine tractantis, Pascalium eamdem sibi sumere materiam, et erumpere subito ac nostrum unumquemque increpare, ut quæ sint in nobis contraria et pugnantia patefaciat, nedum circa rem, delectationis causa, suaviter ludat et nugetur. Quantum præ divinis illis et tragicis vel lepidissimi frigerent et sorderent joci!

Si quis paulo tristiora philosophorum instituta carminum lepore lætificare volet, ei multa erunt cavenda. Sæpe fit enim ut personæ, quas poeta format et in suis inducit operibus, nihil habeant veri et humanæ naturæ

accommodati. His aliquando tribuit magnifica et significantia verba, claras vibrantesque sententias, quibus nihil, si singula consideraveris, existimabis pulchrius; sed *non erat his locus.* Quæ sic, magno hiatu, proferuntur, ea nec personam, nec tempus, nec locum plerumque decent, et ne omnes ejusdem operis partes congruant et unam ad formam reducantur sæpissime efficiunt. Quemadmodum impediunt ne poema sit unum, ita (quod verius est quam verisimilius) ne idem sit varium graviter obstant. Cum enim creber sententiis sermo omnium ex ore indistincte profluat, mediocriter etiam attentis clarius et manifestius apparet personas omnes, unius hominis, poetæ videlicet, partes agere.

Sunt qui, ubi nonnulla nitent in poemate, ea suspiciant et admirentur, nec ita offendantur si opus ex partibus male cohærentibus sibique repugnantibus compositum fuerit. Vicini nostri Germani, si quid forte in scena fuerit actum, quod nullo modo cum reliqua fabula conveniat, et sit tamen, ut fit, eo splendidius quo magis absonum, hoc non solum non reprehendunt, sed pulcherrimum idem esse et nescio quid fidibus dignum habere, magna commoti admiratione, certatim exclamant. Nos, ut in mulierum sic in poematum ornamentis, rerum convenientiam dominari volumus; nec magis ambitiosam humili in sermone patimur intejici sententiam, quam torque gemmato ornari puellam permodestis indutam vestibus. Sicut Flaccus ille, cujus ita prudens et sincerum semper fuit judicium, existimamus nihil aut parum ab eo effici qui ponere

totum nesciat. Porro, nihil est quod ab hoc proposito tantum revocet et deducat poetas quam si eis sit solenne in poematis inducere personas sententiis abundantes et non sibi convenientia loquentes: quod iis sæpissime accidit scriptoribus qui ea quæ ipsi sentiunt, alios inter homines diffundere summa ope nituntur.

Nemo est qui non fateatur istius modi sententias interdum in Euripidis Voltariique tragœdiis apparere, ita ut omnibus lectoribus fiat manifestum auctorem ipsum unaquaque latere sub persona, ejusque ore sua placita enuntiare. Si quis autem seu Senecam, seu celeberrimum illum poetam qui, novissimo finiente sæculo, italiana regnavit in scena, pervolutaverit, illius fabulas stoicorum paradoxis inveniet refertas, quippe cujus personæ omnes, pueri etiam ac puellæ, scholam redoleant et perita manu torqueant enthymema; hujus autem scenicis in operibus sudiosos reipublicæ viros videbit et audiet in tyrannos tam acriter debacchantes, qui hiscere omnino non audent, ut horum tristem et miseram sortem sit certe lamentaturus.

Poeta quilibet qui philosophiæ cujusdam suscepit patrocinium, nullam personam plerumque in scenam inducit, quæ non arte ficta magis quam natura formata esse videatur. Theses defendit cum sermocinari deberet, et pro variis animi affectibus omnia evolvit argumentorum genera. Humana natura, ejus manibus subacta, aquæ non dissimilis est quæ, per amœnos agros huc atque illuc ferri solita et sinuoso trepidare alveo, tandem plumbeis in fistulis conclusa, per tristes urbis vicos uno tenore fluere docetur.

CAPUT IV.

DE LIBERALIBUS ARTIBUS ET PRÆSERTIM DE ARTE POETICA QUID STOICI SENSERINT.

Philosophorum familiæ quæ in summo Bono perquirendo maxime versantur, et in vita hominum ordinanda moribusque formandis præcipue laborant, arbitrari solent eum qui studet rebus ad illa nihil spectantibus, tempus et operam perdere, atque a recta omnino aberrare via. Nulla est scientia, eis si adhibetur fides, ars est nulla, quæ sit propter se ipsam expetenda: disciplina omnis moribus subjicienda est.

Cum homines sexti decimi sæculi christianam religionem ad pristinam severitatem revocare voluerunt (jure an injuria, nihil ad rem), humanioribus litteris, paucis ab annis restitutis, sæpissime indixerunt bellum, quia hæ mentes, eloquentiæ et poeseos dulcedine illectas, ab uno et vero vitæ proposito avertere videbantur. Quid quod doctissimi Portus regalis incolæ, iidemque rigidæ innocentiæ viri, cum geometriam, astronomiam aliasque naturalium rerum scientias parvi esse momenti existimabant, earumque cognitionem futuram ad vitam differri æquo animo sustinebant, tum litteris multo etiam iniquiores, poetas, eosque præclaros, aperte nominabant veneficos? Quid quod, sæculo sequente, Genevensis philosophus, qui sui temporis mores in mollitiem lapsos acriter castigavit, effe-

minatas quoque et elumbes litteras fuit aggressus, quæ, ex libidinibus natæ, libidines augebant? Egregius ille vitiorum insectator, non solum opuscula ista reprehendit, quæ immunda et obscœna crepabant, et quibus eximius quisque litterarum æstimator et acerrimus quisque morum propugnator pariter offendebantur; sed in fabulas illas, quibus ignoverat episcoporum maximus, et quas longa sacraverat admiratio, tela ausus est dirigere.

Quibus ex exemplis, de recentiorum historia sumptis, facilius intelligetur cur apud veteres, non solum cynici, quibus nihil pulchrum et vere exoptandum videbatur nisi honestum, sed etiam stoici, eadem fere profitentes atque a cynicis tunica tantum distantes, poesim aliquando cæterasque artes asperioribus verbis tractaverint. Non est igitur quod miremur Zenonem, stoicæ scholæ conditorem, habuisse inutilem, si Diogeni creditur, omnem liberalem disciplinam (*τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν ἄχρηστον ἀποφαίνει*); Epictetumque vivida quadam concinnitate dixisse, non hanc disciplinam esse humanæ vitæ finem propositum, sed viam ad hunc munitam: *οὐκ εἰς τοῦτο ὤδευες*, inquit, *ἀλλὰ δια τούτου*[1]. Idem sentiebat Antoninus, ut ex initio ejus operis patet, ubi cum alia maxima, tum id præcipue Rustico se debere testatur, quod nec rhetoricam, nec poeticam unquam coluerit, nec dicendi urbanitatem et florem fuerit persecutus (*τὸ ἀποστῆναι ῥητορικῆς, καὶ ποιητικῆς, καὶ ἀστειολογίας*[1]). Seneca acriori, ut so-

[1] *Epict.*, l. II, c. 23.
[2] *Anton.*, l. I.

let, impetu et ad feriendos permovendosque animos magis accommodato, non tamen sine libratis artificiose sententiis: « Unum studium, inquit, vere liberale est, quod liberum facit, hoc sapientiæ sublime, forte, magnanimum: cætera pusilla et puerilia sunt[1]. » Tum poetæ et grammatici, musici et geometræ studia studiis boni sapientisque viri comparata deprimere et obscurare conatur: « Quæris Ulysses ubi erraverit, ait, potius quam efficias ne nos semper erremus.... Quid inquiris an Penelopa impudica fuerit, an verba sæculo dederit... Doce me quid sit pudicitia et quantum in ea bonum... Doces me quomodo inter se acutæ ac graves voces consonent... Fac potius quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent... Quid mihi prodest scire agellum in partes dividere, si nescio cum fratre dividere[2]? »

Nihil aut subtilius, aut lepidius, aut etiam, *mutatis mutandis,* verius eumdem apud auctorem legi potest quam epistola in qua queritur, eam, quæ philosophia fuit, factam esse philologiam. Grammatico, ut ipse animadvertit, et philosopho hi Virgiliani si propositi fuerint versus:

> . . . . Fugit irreparabile tempus.
> Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
> Prima fugit,

et alia hujuscemodi, quam, non dico contraria, sed diversa, et nulla ex parte congruentia nostri hi duo

[1] Sen. *Ep.*, 88.
[2] *Idem.*

homines de versibus illis et sentient et loquentur! Unus nihil nisi verba, alter nihil nisi sententias curabit; ille breves et longas metietur syllabas, hic autem quam præcipiti rapiamur turbine cogitabit, et quo brevior sit vita, eo meliorem eam arbitrabitur esse efficiendam.

Si forte Ciceronis *De Republica* libri in grammatici et in philosophi manus inciderint, hic omnia quæ de justitia eo in opere dicta sunt miratus, ea suis ipsius momentis ponderabit; ille vero veteribus et jam obsoletis verbis, *reapse*, *sepse*, et *calce*, vehementer commotus, ad illa commentariis illustranda sese comparabit et accinget. Ut apis et bos eodem in prato, sic philosophus et grammaticus eodem in libro diversis pascuntur. Satis autem apparet utrum sit, Seneca quidem judice, pabulum salubrius alterique anteponendum.

Quæ cum senserint stoici cum de omnibus disciplinis, tum præsertim de scribendi genere, mirari desinamus si eorum plerique eam artem neglexerint paululum, quam non ita magni faciebant. Inde profectum est istud scribendi genus acutum, subtile, sed exile, jejunum, subobscurum, valde abhorrens ab auribus vulgi, quod sæpe fuit a Marco Tullio quasi ad vivum expressum : «Stoica hæresis nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum, sed minutis interrogatiunculis, quasi punctis, quod proposuitefficit[1].» Itaque Porticus, prima quidem specie, videtur quod oratoriæ et poeticæ arti excogitari queat repugnantius.

[1] Cic. *Parad. Stoic. Proem.*

Diligentius tamen rem consideranti minus litteris obfuisse quam profuisse stoicorum disciplinam manifestum est. Nam litteræ his fere temporibus viguerunt, quum antiquius quod dicerent, quam quomodo dicerent, scriptores habuerunt. Atqui homines jam totos verbis deditos Porticus ad res revocavit, quibus non subjectis, verba inane quoddam sonant, quod puerorum impetu magis quam virorum judicio comprobetur. Sic christiana religio, cum pagani auctores, neglectis omnibus quæ ad res ipsas pertinerent, de verborum significatione sine fine dissererent et interpretanda circa vocabula semper morarentur, res et sententias sibi sumpsit, animisque et mentibus novam per disciplinam renovatis, his veluti e fontibus nova et ubera litterarum deduxit genera. E sublimibus enim sententiis generosisque ex affectibus, potius quam ex tenui verborum cura litteræ oriri et emanare solent.

Si quando stoici de poesi et eloquentia paulo liberius maledixerunt, tantorum virorum verba ad litteram interpretari nolim, sed ea velim mitiorem in partem, ut fit cum de nostris agitur, potissimum accipere. Quis unquam in eloquentiam sancto Paulo vehementius invectus est? Quis majoribus probris humanam sapientiam est insectatus? Nemini tamen venit in mentem, seu magnum illum virum, seu Patres Ecclesiæ, seu nostrum ipsum Bossuetium, cujus in orationibus talia crimina sæpius iterantur et resonant, cum omnis humanitatis et cultus osores, tum præsertim dicendi atque intelligendi artibus inimicos existimare. Omnes, idque non injuria, his in reprehensionibus vident, quod res

habet, magnanimos viros de rebus magis laborantes quam de verbis, et quamvis parva non omnino dedignentur, ea tamen majoribus anteponi indigne ferentes.

Quod igitur christianis concedimus, id stoicis concedamus censeo, maxime cum satis appareat e multis eorum scriptis quæ vera fuerit ipsorum sententia. Seneca, cujus nemo sane testimonium recusabit, non solum nullum profert præceptum, quo stoicis eloquentia interdicatur, sed eos sic jubet loqui, ut audientes virtutis studio incensos dimittant: « Rapit illos, inquit, instigatque rerum pulchritudo, non verborum inanium sonitus[1]. » Hæc est magna illa et divina eloquentia, quæ non ad dicentem, sed ad dicta convertit animos, et quæ romanas litteras, puerili jactantia et ridicula vanitate afflictas ac jacentes, nisi id humanas superavisset vires, sola recreare et iterum suscitare potuisset. Nihil enim tum magis defuit romanæ eloquentiæ quam studiosa rerum cura et nobile verborum fastidium. Orator unusquisque potius sibi plausus quam verbis fidem aucupabatur. Unde lepidi hi Persiani versus:

> Nilne pudet capiti non posse pericula cano
> Pellere, quin tepidum hoc optes audire: Decenter?
> Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina rasis
> Librat in antithetis: doctas posuisse figuras
> Laudatur: bellum hoc! hoc bellum [2]!

[1] Sen. *Ep.* 108.
[2] Persius, *Sat.* 1, v. 83.

Non solum Seneca veram et quæ philosophantes deceat eloquentiam cogitatione sibi fingit, sed plurimos, eosque stoicos, laudat philosophos, qui incredibili quodam dicendi impetu audientes boni amore inflammabant. « Ego certe, inquit, cum Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, sæpe misertus sum generis humani, et illum sublimem altioremque humano fastigio credidi. » — Hæc non sunt de viro frigide et jejune dicente, et suis, ut aiunt, se pungente acuminibus, sed de viro, cui non video quid defuerit, ut nostris oratoribus sacris esset conferendus[1].

Ne quis forte crediderit stoicos eloquentiam, ut quæ pro sapientia propugnet, toleravisse, poesim autem, ut vanam rem et nugatoriam, funditus repudiavisse, eumdem illum Senecam audiat prædicantem, carmina in se habere vim quamdam ineluctabilem qua homines plerique ad credendum impellantur, ita ut assensum, quem solis subnixa rationibus non obtinuisset sententia, eum numeris adstricta et vibrata quodammodo extorqueat :

> « Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit :
> Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

« Cum hæc, inquit, atque ejusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Illi enim quibus nihil satis est, admirantur, acclamant, odium pecuniæ indicunt[2].

[1] Vide exquisitæ doctrinæ opusculum quod inscribitur, *De la morale pratique dans les lettres de Sénèque*, par C. Martha. Strasb. 1854.
[2] Sen. *Epist.* 108.

Hoc autem a me plurimum facit, quod Seneca, hanc profitendo sententiam, Cleanthis ipsius auctoritate nititur, qui, non solum eximium illud composuit carmen, omnibus notum, sed (id quod pauci, credo, animadverterunt) carminum excellentiam expressit ingeniosa illa similitudine, quam Montanus aliique recentiores certatim retulerunt: « Nam, ut dicebat Cleanthes, quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore novissime exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quamdiu soluta oratione dicuntur: ubi accessere numeri, et egregium sensum adstrinxere certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur [1]. »

Non omnem igitur poesim culpaverunt stoici, sed eam tantummodo quæ, rebus neglectis, verba consectatur; et quæ, veris poetæ sensibus, et opinionibus quibus mens imbuitur, prætermissis, nihil habet quod non sit fictum, ac fabulas pueris ipsis ridendas, milliesque decantatas, ambitiosis commendat versibus. Quis enim, si recentia veteribus componere licet, ferre possit inter nostræ ætatis homines exsistere aliquem, qui, libertatis, justitiæ, scientiæ augmentis, quibus optimus quisque movetur, omnino omissis, tritas jamdudum enuntiet sententias, et eos communes locos scribendo tractet quorum cura nec lectores nec ipsum auctorem ullo modo tangat? Quis potius ineptum et præposterum

[1] Sen. *Epist.* 108.

non dicat poetam, qui occupet homines flumina iter melius docentes, aut de reliquis Americæ servis in libertatem vindicandis cogitantes, aut intentos ad Italiam jugum excutientem et antiqua fata repetentem, ut eorum ante oculos Agamemnonis domum proponat, et Atrea tot sceleribus coopertum, et toties scenis agitatum Orestem, hosque omnes quorum nomina, diaria legendo, jam obliti fuimus? Sic stoicis nostris divina et humana quæque quasi ex alto considerantibus nauseas movere solebant isti poetæ, qui centum ora linguasque totidem poscebant, ut meras exponerent nugas et historias quæ jampridem exaruerant. Quos his versibus egregie perstrinxit Persius:

> Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
> Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
> Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi [1].

et alibi:

> Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
> Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo [2].

Quid sibi volunt, quæso, poetæ, nec sensa, nec cogitata ab ipsis effutientes? In id omne conferunt studium, ut auditores bene excipiant opus, et interdum *decenter, bene, pulchre* exclament, universique assurgant. Omnia ista poemata ad ostentationem composita, fucato nitore spectanda, ac parum iis dissimilia quæ noster Molerius tam acriter exagitavit, idem ille Per-

[1] Persius, *Sat.* V, v. 7.
[2] *Idem*, v. 19.

sius mirum depinxit in modum, et aculeatis verbis sic persecutus est:

> . . . . Ecce inter pocula quæruut
> Romulidæ saturi quid dia poemata narrent.
> Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
> Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
> Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid
> Eliquat, et tenero supplantat verba palato [1].

Quid quod pessimi isti poetæ, non solum scribunt, nihil quod scribant habentes, de ingenii fama unice solliciti; sed, ut auditorum certius sibi concilient suffragia, eorum sensibus serviunt et ad blandiendum vitiis totos se accommodant? Nonne hic, quum de moribus, tum de liberalibus artibus bene meretur, qui, talibus poetis omni contumelia vexatis, poesim ipsam prostratam et dignitatis immemorem nititur excitare, et ei præstantius adscribit munus? Nunquam enim quod vult id consequetur poesis, ut, efficta quadam divinæ pulchritudinis imagine, hominum mentes juvet et permulceat, si, coquinariæ artis facta quodammodo æmula, turpissimam quamque corporis partem solum titillaverit. Itaque magnam mihi movent admirationem carmina, quibus Persius perniciosas istas ineptias insectatur:

> Scilicet hæc populo pexusque toga recenti,
> Et natalitia tandem cum sardonyche albus,
> Sede leges celsa, liquido quum plasmate guttur
> Mobile colluerit, patranti fractus ocello [2].
> . . . .
> . . . .

[1] Pers. *Sat.*, I, v. 30.
[2] *Idem*, v. 15.

Quæ si cui paulo liberius et obscenius dicta esse videantur, is secum reputet non fœda fœde expressa, sed amœnis velata circumlocutionibus, legentes ad se vulgo allicere.

Quoquo modo se res habeat, nemo non fateatur necesse est, stoicos, cum litteræ romanæ pluribus vitiis, iisque gravissimis, laborarent, et lenta quasi tabe consumerentur, non summa in cute, sed intimis in medullis morbi quæsivisse causas, easque sanare solis, quibus sanari poterant, remediis esse conatos. Certis inconcussisque institutis mentes informando, generosis ac nobilibus sensibus animos extollendo, quod, ad liberales artes et disciplinas restituendas, erat utilissimum, fecerunt; nam veteri hac sententia nihil verius:

Scribendi recte sapere est et principium et fons,

nisi forte hæc altera: — Pectus est quod disertos facit.

CAPUT V.

DE IIS QUÆ STOICIS ET POETIS STOICORUM DISCIPULIS NUPER FUERUNT OBJECTA:

Stoica disciplina a multis, iisque lectissimis, scriptoribus nuper exposita fuit et examinata[1]. Inter quos vir humanitatis studiosissimus, bonorum probatorum-

[1] Vide præsertim Ravaisson, *Essai sur la Métaph. d'Aristote*, 1846; Denis, *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité*, 1856; Janet, *Histoire de la philosophie morale et politique*, 1858.

que auctorum firmissimus propugnator, et molientium nova deterrimaque in litteris idem insectator acerrimus, de hujus familiæ philosophis et poetis paulo severius, ut opinor, tulit judicium[1]. Per talem hunc virum nobis liceat, cur ejus sententiam non amplexi fuerimus enucleate dicere, et singula quæ contra stoicos attulerit diligenter expendere.

Primum Chrysippum illum, quem veteres Porticus columen nominabant, aliosque insignes stoicos, omnino insanos fuisse affirmat. Qua auctoritate, quibusve argumentis fretus? Auctoritate, scilicet, Marci Tullii, qui, cum lepidissimam pro Murena haberet orationem, de Catone, qui contra Murenam steterat, vulgi risum movere quærens, eum exhibuit ridiculæ addictum disciplinæ. Sed quoties idem Marcus Tullius rhetoris, plebeculæ fucum facientis, non agit partes, sed, philosophi more, prudentissimos alloquitur viros, et verum candide studet invenire, toties stoicos maximis amplificat laudibus. Quin etiam, eos, in omnibus prope quæ ad mores spectant, sequitur duces (sicut e pulcherrimo, quod *De Officiis* inscribitur, opere manifestum est), Panætiique stoici librum vere aureum prædicat et sibi ad imitandum proponit exemplar. Non magis igitur in oratione pro Murena quid de moribus Cicero senserit, quam in orationibus contra Verrem quæ fuerit ejus de diis et deabus opinio, credo esse inquirendum.

At Chrysippus quædam falsa et naturæ repugnantia, si Plutarcho creditur, professus est. Quis autem fuit

[1] M. Nisard, *Études sur les poëtes latins de la décadence.*

unquam vir sapiens qui de re aliqua non desipuerit? Is unus haud procul a recta aberrat via, qui non progreditur longius; isque unus minime fallitur, qui minime cogitat. Vir autem summo præditus ingenio, si humana divinaque fuerit cogitatione amplexus, et omnia quæ senserit de omni re scibili et quibusdam aliis inter se componere et connectere fuerit conatus, ut exædificaret quæ *sapientum templa serena* egregie nominata sunt; is certe sententiam aliquam apud omnes pervulgatam eamdemque veram inveniet, quæ cum sententiis aliis tam artificiose exstructis discrepet, eamque repudiabit: qua enim admissa, totum corruat ædificium. Philosophi autem qui hujusmodi opus susceperunt, ii majus quoddam fuerunt aggressi quam homines plerique, qui, cum diversa et secum pugnantia vulgo sentiant, dissipatas et contrarias inter se sententias nunquam nituntur conciliare.

Si igitur insanus Chrysippus ideo est dicendus, quia absurda quædam ei placuerunt, et si Cornutus quoque insani nomine est dignus, quia Chrysippum eumdem magnopere miratus fuit, non video cur insanus non appelletur noster Cartesius, qui animalia omni sensu carere, res si ulla fuit unquam absurda, arbitrabatur; nec cur Arnaldus, Bossuetius, Fenelo, multique alii illustrissimi viri non eodem habeantur in numero, cum tantis laudibus insanum Cartesium extulerint.

Præclarissimus ille Leibnitzius, quo nullus fuit aut doctrina abundantior aut ingenio præstantior, non eadem severitate est usus qua eximius scriptor cujus nunc expendimus sententiam. Nam, cum omnes phi-

losophos, qui insignia aliqua in lucem ediderunt instituta, tum maxime Chrysippum plurimi facit, ejusque cum placitis placita sua vult convenire.

Illud quoque stoicis fuit objectum, quod sublimem quamdam honesti formam et speciem animo conceperunt, quam nemo unquam factis et moribus effingere et exprimere queat. Quis autem non videt eam esse artis cujusque conditionem, ut primum artifex id quo nihil perfectius concipi possit cogitando complectatur; dein, non optima, sed quæ sunt optimis proxima agendo efficiat?

Marcus Tullius, cum præclarum illud oratoris descripsit exemplar, apud omnes litterarum studiosos homines jam pervulgatum, non oratorem quemdam vel illustrissimum, Periclem dico aut Demosthenem, elegit, quem nobis proponeret ad imitandum; sed oratorem qui nunquam fuit, nunquam erit, sed concipitur tamen, et ad cujus cogitatam speciem unusquisque sese conformare debet et accommodare. Quid dicam de Platone, illo omnium principe philosophorum, qui homini ad perfectam cumulatamque virtutem tendenti nihil actum putabat dum aliquid agendum superesset, eique *τὴν τῷ Θεῷ ὁμοίωσιν* supremum assignabat finem? Quid de ipsa christiana religione, quæ, non hominibus, ut quod vulgo fit id faciant præcipit, sed quod fieri quodammodo nequit, id potissimum jubet eos facere? Quis est qui Christum audiens nobis mandantem ut, bonis omnibus venditis, pauperibus eorum pretium demus, aut exclamantem : « Perfecti estote, sicut pater meus est perfectus », negare audeat, eum homi-

nibus majora quam quæ possint effici, imperare; aut viros, talibus præceptis imbutos, singulari quodam virtutis amore flagravisse, eaque juste et pie, fortiter et constanter fecisse ac tulisse, de quibus nulla unquam reticescet posteritas?

Non est igitur cur vituperemus stoicos atque eos existimemus homines stultos ac vana somnia sibi fingentes, quod perfectum aliquem expletumque omnibus numeris et partibus conceperunt, quem sapientem nominabant et ad quem proxime nitebantur accedere, cum nihil tantum ad aliquid bene faciendum conferat, quantum quod sit optimum in quoque genere novisse; et cum ipsi, quos christiana religio colit, sanctissimi viri, idcirco solum supra humanam sese extulerint naturam, quod exemplar non imitatione assequendum, imitatione tamen assequi conati fuerint.

Non solum nostrorum philosophorum instituta et præcepta, sed etiam facta et mores reprehenduntur; ita tamen ut ii duo distribuantur in genera hominum, quorum alteri stoice vixerint, alteri vero stoice disputaverint, et illi debitis efferantur laudibus, hi contra maledictis acriter lacessantur. Virtutem enim non secus atque arithmeticam aut geographiam docere, auctore quocum certamus judice, aliquid habet puerile omnino et irridendum.

Longe alia, fatemur, nostra est sententia. Binas quibus præcipue homo constat partes, quarum una quid sit bonum aut malum percipit et intelligit, altera vero ad bonum fertur et fugit malum, ita sejunctas esse et separatas non credimus, ut quod prior expe-

tendum et persequendum judicaverit, ad id expetendum et persequendum posterior hoc ipso judicio nunquam moveatur. Alioqui, quid esset cur unusquisque paterfamilias bonis institutis imbuendos curaret liberorum animos? Quid esset cur christianus orator quisque in fidelium corda sacram e cathedra spargeret doctrinam, et omnes omnium temporum scriptores eo melius audirent quo melioribus abundarent præceptis?

Præterea, nisi homo hominem virtutem docere posset, non video quomodo litteras aut artes posset docere. Non enim facilius est quæ et quanta sit poematis, aut pictæ tabulæ, quam egregii facinoris pulchritudo explanare, et ejus amore hominum inflammare animos; ita ut nos omnes, cum litterarum et artium, tum sapientiæ professores oleum et tempus perdamus, dum nobilibus his nostris incumbimus studiis.

Non sic existimabat Seneca, cum Attali, Sextii, Sotionis aliorumque generosas adhortationes tam grato animo commemoraret; non sic Persius aut Antoninus, qui tanto amore suos amplectebantur magistros; non sic ipse Tacitus qui, cum hos simplices, sine fuco, et vere magnos viros exsulare videret, ipsam quodammodo arbitrabatur exsulare virtutem, « expulsis, inquit, insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret[1]. »

Cur autem hi philosophi a Domitiano fuerunt in

[1] Tac. *Agric.*, al. 2.

exsilium acti? Quia Helvidius et Thraseas ab Aruleno et Senecione in scriptis dilaudati fuerant, ut eo vel solo manifestum sit inter magistros et discipulos causam fuisse omnino communem. Itaque, tot post sæcula, nescio quo inter tales viros discrimine facto, hos laudare, illos vituperare non mihi æquius videtur quam si quis, christianæ religionis martyres orationibus extollens, religionis ejusdem doctores verbis deprimere velit.

Cum noster egregius scriptor posuerit, stoicos esse stultos, ad inania sibi fingenda pronos, et nihil plerumque aucupari nisi verba et voces, non est mirum si ex his omnibus concluserit, Persii ingenium ab iis fuisse depravatum corruptasque romanas litteras. Ego vero præclara e Zenonis schola nec tanta mala esse profecta, nec proficisci potuisse existimo.

Stoica institutione, velut labe aliqua, latina poesis mihi certo laborare videretur, si Persii aliorumque stoicissantium poetarum ingenium tum sublimius elatum fuisset, cum ex arctis hujus disciplinæ vinculis quasi evolavisset; sed id contra evenit nescio quomodo, ut quanto magis ingenia implicantur dogmatibus stoicorum, tanto feliciori afflentur spiritu. Quis est enim qui non fateatur, non solum Persii, sed Senecæ, Lucani et Manilii versus esse eosdem et pulcherrimos et maxime stoicos? Nec ut res aliter sese haberet ullo modo fieri potuit, quandoquidem hi poetæ germani erant stoici, et eo vividiori rapiebantur impetu, quo sibi cariores exprimebant sensus. Si hominum mores minus feliciter descripserunt, hoc saltem nobili de-

buerunt porticus scholæ, quod divino illo furore aliquando afflati fuerunt, sine quo Democritus et Plato[1] nolunt quemquam esse vatem, et quo olim instinctus Cornelius noster in scena erat regnaturus.

CAPUT VI.

QUANTA FUERIT STOICÆ DISCIPLINÆ PRÆSTANTIA ET PULCHRITUDO.

Stoica disciplina, qualem eam in philosophorum scriptis invenimus explicatam, nihil fere pulchrius videtur ac præstantius.

Stoici contendunt res omnes, quæ ante oculos versantur, inter se cohærere et coalescere, unoque et eodem moveri et regi spiritu, nedum aliæ ab aliis exsistant sejunctæ, animabusque careant; ita ut tota hæc rerum natura immensum quoddam haberi queat animal, cujus corpus sit mundus, mens autem Deus. Ex hac quasi universa rerum mente delibatas esse putant, non solum hominum belluarumque animas, sed etiam vitas arborum, et quæ corporis cujuslibet partes in unum colligunt. Sic omnia, stoicis auctoribus, ab una eademque divina intelligentia orta et profecta, mirum in modum inter se consentiunt, et pulcherrimum et præstantissimum efficiunt opus. Quid enim præstantius et ad movendos hominum animos magis idoneum,

[1] Cic. *De Orat.*, l. II, c. 46. Horat. *Ep. ad Pis.*, v. 295.

quam infinita rerum natura? Quid autem pulchrius quam immensum illud corpus a Deo, tanquam a mente æterna perfectaque ratione, animatum simul et rectum? Id enim vulgo dicitur pulchrum, in quo e multarum convenientia rerum ordo efficitur mirabilis, non deficiente vi quadam interna, qua totum illud aut vere spiret, aut spirare videatur.

Neminem fugit quantum Fenelo noster hanc miretur philosophiam, quam fabulosam nominat eamdemque magnificam. Quin etiam animadvertit illustrissimus ille scriptor hujus philosophiæ interpretem fuisse Virgilium, et insignes hos affert versus, quos stoicos simul et platonicos esse dicit:

> Esse apibus partem divinæ mentis et haustus
> Æthereos, dixere; deum namque ire per omnes
> Terras, tractusque maris, cœlumque profundum:
> Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
> Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas [1].

Dum epicurei quæcunque videmus e fortuito atomorum concursu credunt esse nata, et pleraque vita omnino carere; stoici contra omnia cœlesti quadam arte ficta esse et ab ipso Deo animari arbitrantur. Itaque, quanto inanimatis animata et inordinatis ordinata præstant, tanto epicureorum disciplinæ stoicorum disciplinam pulchritudine præstare censeo.

Si quis forte existimaverit fortuna illa varia et cæca, de qua loquuntur epicurei, melius regi rerum universitatem quam certa et indissolubili Fatorum lege quam

[1] Virg. *Georg.*, l. IV, v. 220.

stoici prædicant, secum reputet quam prope accesserit ad Providentiam nostram fatum illud stoicum, quippe quod nihil agat nisi optime, et ipsa mala ad bonum reducat.

Si de cœlo in terram descenderimus, et si, divinis rebus relictis, quæ de hominum vita et moribus stoici senserint quæsierimus, pulchriora forsan inveniemus et majori etiam admiratione digna. Quis ignorat nostros philosophos nihil unquam hominibus accuratius præscripsisse quam ut naturæ convenienter viverent, et hanc, de qua diximus, cœlestium rerum constantiam imitatione persequerentur? Nam optimi, aiebant, viri cujusque vita artis opus habenda est. Quid enim non pulchrum in illo sapiente, quem sibi fingunt stoici et nobis ad imitandum proponunt, aut dici aut excogitari potest, qui adeo est prudens, ut vera a falsis nunquam non certissime dijudicet; adeo fortis et temperans, ut nec doloribus nec voluptatibus a recta deducatur via; adeo justus et liberalis, ut non sibi soli, sed propinquis, patriæ, hominum generi, et toti, ut ita dicam, mundo se genitum sentiat? Nisi quis forte dixerit vitio virtutem, turpique honestum aliquando pulchritudine superari, et Græcos vana similitudine fuisse deceptos, cum virum eumdem καλὸν κἀγαθὸν nominaverunt.

Quid enim esset cur ille vir eximia quadam pulchritudine non esset præditus, cum omnes animi ejus partes, soli rationi obedientes, jam ad unam, eamque perfectissimam, redigerentur formam, et legi accommodarentur eidem, quæ sidera temperat et moderatur? Quam si sequeremur ducem, universam illam

haberemus civitatem, hominibus cum Deo communem, in qua nemo non liber esset, nemo non justus, et cujus nostræ hæ civitates vanam et falsam usque ad hoc tempus adumbraverunt imaginem. Quam si volumus aliquando condere, ad sempiternæ illius legis normam leges nostræ corrigendæ sunt, et colenda illa generis humani caritas, qua hominem unumquemque, non modo ut fratrem, sed ut corporis ejusdem membrum quoddam curemus et foveamus.

Quantum interest inter stoica illa instituta, quibus ad optima quæque consequenda, et ad tuendam humanam societatem, accendimur, et epicurea ista præcepta quæ nos a publicis deterrent rebus, et nobis suadent ut nescio quibus in hortulis molliter recubantes, nosque sine rivalibus amantes, vivamus, quasi hæc vere nominanda sit vita, quam sibi soli quisque vivit, aliorum oblitus!

Quamobrem, cum Lucretius Carus, Epicuri disciplinæ addictus, egregium illud fecerit poema, quod *De natura rerum* inscribitur, majus quoddam et præstantius opus, si se vertisset ad stoicos, fortasse condidisset. Quam gravi et grandiloquo dicendi genere, quam vividis splendidisque coloribus hanc vere artificem depinxisset naturam, quæ nunquam viribus deficit et quotidie nova luminis in oras profundit animantia! Quanto cum fulgore stoici illius sapientis imaginem, ultimæ tradendam posteritati, aureis carminibus effinxisset, ac mares Romanorum animos acuisset ad antiquas virtutes renovandas et ad civitatem condendam re romana Capitolioque majorem! Divinus enim ille vates, seve-

riori tristiorique ingenio præditus, ad Zenonis potius quam ad Epicuri placita explananda erat, ut opinor, natus.

CAPUT VII.

QUÆ PRÆCIPUA FUERINT STOICÆ DISCIPLINÆ VITIA.

Hoc opusculum non ideo suscepi, ut stoicorum virtutes clariores efficerem, eorum autem tegerem vitia et quasi quibusdam involucris obtenderem. His de philosophis sine studio et ira scribere mihi in animo est. Itaque eos, rectam quidem viam plerumque secutos, aliquot in errores fatebor incidisse, qui de eorum institutis aliquid, non veritatis solum, sed etiam pulchritudinis detraxerunt.

Stoicis sapientem illum quærentibus, qui perfectus esset et omnibus suis numeris expletus, venit in mentem, nihil præstantius quam hominem liberum et ab omni cupiditate vacuum esse posse. Itaque cunctos animi affectus, utpote qui liberum arbitrium plus minusve impedirent, non temperandos solum, sed etiam exscindendos esse prædicaverunt. Hoc scilicet non intellexerunt, animal unumquodque, non aliqua partium, ex quibus constat, excisa, sed, cunctis his partibus temperatis, ad absolutissimam adduci solere totius generis formam.

Equidem scio (id quod a clarissimo novissimi sæculi auctore in scriptis relictum est[1]) stoicos in iis tantummodo, quæ magnum animum requirerent, nempe in

[1] Montesquieu. *Esprit des lois*, l. XXIV, c. 10.

contemnendis doloribus atque voluptatibus, modum excessisse, et ad id faciendum grassante in dies luxuria fuisse impulsos; nam nimiis vitiis quibus homines infecti erant, nimiæ virtutes erant opponendæ; et nisi mores, semel depravati, prius in contrarium deflexi fuissent, corrigi nequaquam poterant. Attamen nemo non fateatur necesse est nostros hos philosophos, dum immoderata, nimis alta et supra humanam posita naturam appetunt, aliquid durius et grandius in se habere; cum autem quod affectant id se esse consecutos arbitrantur, eos tum efferri insolentius, et diabolica ista, quam eis Pascalius objecit, inflari superbia. Inde (quia vultus animi, ut rectissime fuit definita, oratio est) nunc contortum et quæsitum, nunc tumidum et inflatum dicendi genus. Eosdem vero homines quis non videt, dum affectus omnes volunt ex animo penitus convelli, aut nullo animi motu se concitari passuros, et se totos, quoad fieri licebit, addicturos rationi? Quo ex fonte fluat necesse est, si modo verbo *flüere* hic uti recte possum, frigida, sicca, jejuna quædam oratio, quæ aut raro aut nunquam exsultabit audacius. Igitur, etiamsi stoicis contingeret ut opera conderent rationis legibus quam maxime accommodata, et quorum partes, sine ulla discrepantia, inter se convenirent, nihilominus operibus hujuscemodi tenerum quoddam deesset et miserabile, quod hominum delectat et permovet animos, eosque quocunque vult rapit. Itaque tales viri perfectam illam poeseos formam, quam cogitatione tantum concipimus, nullo modo possent effingere, nam:

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et quocunque volent animum auditoris agunto.

Quomodo ille, de quo loquimur, stoicus in tristitia aut gaudio, in misericordia aut ira significandis numeroque poetico constringendis delectabitur? Quomodo conabitur et efficiet ut quo igne ipsius animus arserit, aliorum quoque animi ardeant, si omnes affectus pro vitiis habuerit, et eos morbos existimaverit ex optimi cujusque mente expellendos? Ad grandia semper enisus, illa sane aliquando consequetur; pulchra, quæ in rerum temperatione constant, rarius; venusta vero nunquam, utpote quæ quasi sua sponte nascantur et benigna vena profluant stoicorumque ingenio sint maxime contraria.

Si sapientem illum stoicorum cum Christo conferendi, quem nostra nobis religio proposuit exemplar, venia daretur, e tali collatione forsitan pateret, quanto hic, ad animos hominum commovendos, magis sit quam ille idoneus. Quod Flaccus de misericordia, hoc de omni mentis affectu, ut opinor, dicendum est:

. . . . . Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi.

Christi ideo me movent acerbissimi cruciatus, quia veris cruciatur doloribus et eos non æquo animo patitur. Quid tristius aut miserabilius quam nox illa in olearum horto acta, aut quam voces illæ lugentis et flentis: — « Calicem hunc a me submove; — Deus, Deus meus, quid dereliquisti me? »

Quanto vividiori motu percelluntur animi questibus et lamentis hujuscemodi quam rigida ista et immota Catonis constantia, super fortunam et casus adeo exsurgentis, ut, ictu ab homine quodam accepto, se verberatum neget; quippe quem nihil inquietare possit et sua quasi ex arce dejicere! Res dictu mirabilis! Deus hominis, homo Dei vicibus fungitur, dum alter ita mortem dedignatur et callum quemdam obducit dolori, ut nostram omnino videatur exuisse naturam, cœlestem illam sapientis ἀπαθείαν consecutus; alter vero ita supremum diem et corporis cruciatus deprecatur, ut eum divinitatis suæ oblitum, et unum plane ex nobis factum existimes. Inde conficitur, ut ille nihil quodammodo nobiscum habens commune, nos istius, quam mentitur, indolentiæ faciat participes, hic vero contra nobis etiam invitis lacrymas lacrymis eliciat; nam *mortales mortalia tangunt.*

CAPUT VIII.

DE DEO APUD POETAS STOICOS.

Stoicis perincommode accidit, ut non habuerint, sicut epicurei, vatem egregium, qui instituta eorum et præcepta omnibus dicendi luminibus distingueret. Nunc autem, si volumus scire quid in carminibus potuerint, eo adducimur, ut discerptæ poeseos quasi membra undique colligamus, quæ sibi aliquando parum conveniant et ex quibus nihil efficiatur simplex

aut unum. Eo accedit, quod stoica disciplina apud poetas romanos eo præsertim tempore viguit, quo litteræ, a recto ad pravum abstractæ, nihil sinceri et incorrupti habebant, ita ut homines plerique in poetas stoicissantes vitia temporis transtulerint.

Nihilominus unicuique æquo animo et nullo partium studio consideranti quid romani poetæ, stoico afflati spiritu effecerint, manifestum est Zenonis disciplinam de poesi romana nequaquam male meritam esse. Videamus primum quæ de Deo, de fato, de morte, de illa denique tota, quam physiologiam vocant, poetis præbuerit exornanda; tum ea proferemus quæ e stoicorum libris, de moribus scriptis, in vatum romanorum poemata effluxerunt.

Nihil unquam fuit, cum apud veteres, tum apud recentiores, majori dignitate descriptum et expressum quam supremus ille Deus, qui omnia, quæcunque nostros ante oculos obversantur, tuetur et gubernat. Præstantissima credas ingenia, quæ ad hoc opus se contulerunt, id tantum non feliciter sibi proposuisse, ut divinam materiam arte humana æquarent, et eo sublimius sese extulisse, quo natura eis depingenda erat sublimior. Quid majus dicitur fuisse apud Græcos aut homerico illo Jove, qui nutu totum tremefaciebat cœlum, aut eodem illo Deo, Phidiæ manibus efficto, qui populo minime religionibus dedito, tantam movebat venerationem? Quid magnificentius nostros apud majores potest inveniri quam funebres illæ Bossuetii laudationes aut sacræ Cornelii Raciniique tragœdiæ, in quibus summus ille Deus declaratur esse omnium

principium et finis, ac pro nihilo habere cunctam rerum universitatem?

Cum poetis stoicis paulo severius profecto ageretur, si ab eorum unoquoque ea postularentur, quæ pauci admodum, iique gravissimi, artis magistri, tot per sæcula, exhibuerunt. Si quis vero seu Virgilianos expenderit versus, quibus mentem celebrat quæ *agitat molem et magno se corpore miscet*[1], seu etiam Manilianos hos versus excusserit, in eis aliquid, ut opinor, reperiet, quod nec summo Deo, nec immenso mundo quem agitat Deus, omnino sit indignum:

> . . . Canam tacita naturam mente potentem,
> Infusumque Deum cœlo, terrisque, fretoque,
> Ingentem æquali moderantem fœdere molem;
> Totumque alterno consensu vivere mundum,
> Et rationis agi motu; quum spiritus unus
> Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
> Omnia pervolitans, corpusque animale figuret[2].

Non loquitur sane de Deo illo, super rerum naturam posito, ab omni materiæ concretione segregato, quem Aristoteles cogitatione comprehenderat, et ad quem universum hunc mundum, ineffabili quadam cupidine motum, suum quasi ad summum finem, concurrere arbitrabatur; sed Deum tamen prædicat unum, immensum, cuncta ad vitam excitantem, et præ quo omnia fabulosa numina nullo in numero sunt ducenda.

Versus consequentes liberius forsan fluunt, non deficiente quadam majestate:

[1] Virg. *Æneis*, l. VI, v. 724.
[2] Man. *Astr.*, l. II, v. 60.

Quod nisi cognatis membris contexta maneret
Machina, et imposito pareret tota magistro,
Ac tantum mundi regeret prudentia censum,

. . . .

Non imbres alerent terras, non æthera venti,
Nec pontus gravidas nubes, nec flumina pontum,
Nec pelagus fontes: nec staret summa per omnes
Par semper partes æquo digesta parente.

. . . .

Motus alit, non mutat opus: sic omnia toto
Dispensata manent mundo, dominumque sequuntur [1].

Raro Deus ille, qui omnia complectitur idemque gignit et temperat, parens simul et rector mundi, tam splendidis depictus fuit coloribus. Illustrissimus hujus nostræ ætatis vates hanc Manilianam amplitudinem, me quidem judice, nequaquam consecutus est, inscius circa sensus eosdem cum illo æmulatus. Deum enim nunc nominat sine litore Oceanum; nunc focum e quo, non secus ac scintilla, unaquæque emicat anima; nunc molem quamdam cujus vita omnis velut particula est, eumque dicit immensam universamque vivere vitam, rerum natura priorem simul et posteriorem [2].

Quantum Gallici poetæ versus, verbis et sententiis parum cohærentes, quum illis, tum his quoque Manilii

[1] *Idem*, v. 67.

[2] Dieu, Dieu, Dieu, mer sans bords, qui contient tout en elle,
Foyer dont chaque vie est la pâle étincelle,
Bloc dont chaque existence est une humble parcelle,
Qu'il vive sa vie éternelle,
Complète, immense, universelle,
Avant la nature, après elle....
LAMARTINE (*Chute d'un ange*).

versibus cedunt, ubi non solum quam postea nominaverunt naturam naturantem et naturam naturatam, sed etiam omnium mundi partium convenientiam, cognationem et quasi συμπάθειαν mira quadam concinnitate expressit:

> Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
> Membraque naturæ diversa condita forma
> Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis
> Vis animæ divina regit; sacroque meatu
> Conspirat Deus, et tacita ratione gubernat,
> Mutuaque in cunctas dispensat fœdera partes,
> Altera ut alterius vires faciatque feratque,
> Summaque per varias maneat cognata figuras [1].

Deus stoicorum non is est qui extra flammantia mundi mœnia habitet, et discreta nescio qua in sede tranquillum et securum agat ævum, cum de rerum universitate, tum de rebus humanis minime sollicitus. Non video quid intersit utrum talem tibi fingas Deum, quod epicurei fecerunt, an Deum dicas esse omnino nullum. Stoicorum longe alia est sententia; nam Deum hominemque arcta quadam conjungunt societate: « Non sunt, inquit Seneca, ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: prope est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico... sacer intra nos spiritus sedet... In unoquoque virorum bonorum (quis Deus, incertum est) habitat Deus [2]. »

[1] Man. *Astr.*, l. I, v. 247.
[2] Sen. *Epist.* 41.

Hæc sublimiora sunt quam quæ a severiori Porticus Musa eximios versus non expresserint. Itaque theologus ille stoicorum poeta Manilius præclare enuntiavit quæ nobis cum Deo sint communia, et quomodo humana ratio a divina ratione, velut a fonte, derivetur:

> Quis dubitat post hæc hominem conjungere cœlo?
> Eximiam natura dedit linguamque capaxque
> Ingenium, volucremque animum? quem denique in unum
> Descendit Deus atque habitat, seque ipse requirit?
> . . . .
> Quis cœlum posset, nisi cœli munere, nosse,
> Et reperire Deum, nisi qui pars ipse Deorum est [1]?

His in verbis aliquid forsitan magis ad communes hominum sensus et ad aures vulgi aptum et accommodatum desideres; sed nihil, credo, legi potest, quod cogitationem nostram efferat ad majora, et quod animos, immensa undique et æterna circumspicientes, vehementius sacra quasi formidine permoveat.

CAPUT IX.

DE FATO APUD POETAS STOICOS.

Christiani scriptores nobis tum præsertim magnam injiciunt admirationem, cum æternum atque immensum quoddam numen nobis ostendunt, quod e cœli regionibus orbem terrarum administrat curatque, et omnia, etiam pessima, immutabilibus legibus optimum ad

[1] Man. *Astr.*, l. II, v. 105.

finem dirigit. Quis est qui non fateatur Bossuetium, verbi gratia, nunquam exsurgere altius quam cum Deum alto e cœlo regnorum omnium habenas tenere, effectum quemque in causa etiam remotissima videre, et consiliorum longam seriem factis quotidie evolvere prædicat? Cum enim pulchritudo alicujus rei in magna potestate perfectoque ordine præcipue posita sit, Deo universam hanc molem vi sua regenti et omnes ejus partes sapientiæ legibus subjicienti summam esse pulchritudinem necesse est.

Aliquid non multum dissimile nostris placuit stoicis, quippe qui omnes terras gubernari contenderent ratione cuncta tuentis ac regentis Dei. Quod si lex illa immutabilis non facile convenit cum libero hominis arbitrio, et fatum ideo fuit nominata, hoc tamen est animadvertendum, tale fatum nequaquam cæcum esse et insipiens, et parum ab ea, quam Providentiam nominamus, differre. Quot enim philosophi, iique illustrissimi, affirmaverunt, non omnia sicut collibuerit agere Deum, sed ea tantum efficere posse quæ existimat optima!

Cæterum vere an secus de fato stoici senserint, nihil ad nos; hoc solum nostrum est, si qua eximie fuerunt de fato versibus scripta, ea referre, et humanissimo lectori commendare. Hæc, in quarto operis libro, Manilius:

> Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
> Longaque per certos signantur tempora cursus.
> Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
> Hinc et opes et regna fluunt, et sæpius orta

Paupertas, artesque datæ, moresque creatis,
Et vitia, et clades, damna, et compendia rerum.
Nemo carcere dato poterit, nec habere negatum,
Fortunamve suis invitam prendere votis,
Aut fugere instantem : sors est sua cuique ferenda [1].

Seneca, in ea, quæ Œdipus inscribitur, tragœdia, eodem fere modo de fatis locutus est. Inducit enim chorum dicentem :

Fatis agimur : cedite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
. . . .
Omnia certo tramite vadunt;
Primusque dies dedit extremum.
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis, ordo [2].

Erunt fortasse multi quibus hæc de fato sententia vana falsaque videbitur; sed non hæc continuo a poeta longissime abest. Eam enim adeo verisimilem esse, ut rationem non offendat, et in se obscurum aliquid habere quod ad poesim mirifice sit accommodatum, probari facillime possit. Affirmando omnia fato regi, stoici liberum non negant esse arbitrium, sed hoc atque illud æque esse vera contendunt. Id si quis arbitratus fuerit nequaquam posse fieri, is secum reputet quot et quanta argumenta in scriptis profuderint Augustinus, Bossue-

[1] Man. *Astr.*, l. IV, v. 44.
[2] Sen. *Œdip.*, v. 980.

tius, Fenelo, aliique christiani doctores, ut vincerent his sancti Pauli verbis: — (Deus) *operatur in nobis velle et facere,* — libertatem hominis non fuisse omnino sublatam. Quis nescit Leibnitzium infinitam causarum seriem adeo arctis connexam vinculis sibi finxisse, ut præsens tempus quemadmodum præterito tempore ortum, sic futuro gravidum esse dixerit? Itaque non video cur stoicis quoque non liceat omnibus rebus insuperabile quoddam fatum imponere — quippe quod nihil aliud sit quam immutabilis ratio Dei — et libertatem quamdam homini cuique tribuere, quæ cum fato vix fortasse conveniat, sed non sit tamen omnino neganda. Hæc magnus mirabiliter intellexerat Augustinus, et celeberrima verba Cleanthis, a Seneca in latinum versa, christianum eumque rationabilem in sensum interpretari nitebatur:

> « Duc me, parens, celsique dominator poli,
> Quocumque placuit: nulla parendi mora est:
> Assum impiger. Fac nolle: comitabor gemens,
> Ducunt volentem fata, nolentem trahunt,
> Malusque patiar, quod pati licuit bono.

« Non multum cum eis, inquit Augustinus, de verbi controversia laborandum atque certandum est; quandoquidem ipsum causarum ordinem et quamdam connexionem Dei summi tribuunt voluntati et potestati, qui optime et veracissime creditur et cuncta scire antequam fiant, et nihil inordinatum relinquere; a quo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint om-

nium voluntates. Ipsam itaque præcipue Dei summi voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum sic probatur[1]. »

Præterea in stoica de fato sententia sublime aliquid inest et subobscurum, quod cum omnes omnium temporum poetas, tum eos maxime decet qui florentissimis mundi ætatibus viguerunt. Stoici enim cum his præcipue certant qui omnia cæco casu fieri et volubili fortuna regi volunt, qua opinione nihil arti et scientiæ, quæ in ordine maxime constant, inveniri potest repugnantius. Contra eos quoque contendunt, qui Deos quidem credunt esse rerum rectores, sed illos adeo hominum similes sibi fingunt, ut iis qui terras noverunt cœlum plane notum esse videatur. Porro nihil hac Taciti sententia verius et insignius unquam fuit dictum : « Omne ignotum pro magnifico est[2]. » Ergo unicuique est in promptu, non tritos istos deos, quos vulgus, non secus ac vicinos suos, sibi notos putat, sed obscura, ignotaque illa fata, nihil quod hominem redoleat habentia, prudentissimi cujusque animum permovere posse.

Quæ vis fati, rationis particeps ac nescia mutationis, clarius et planius se præbet videndam in certis ratisque legibus quæ cœlum et terras, mare et aera temperant, quam in hac humanæ vitæ varia ac mutabili ratione. Inde luculenti, vel potius divini versus, quibus præstantissimus vates quem nuper Britannia tulit, Oceanum alloquitur. Splendidis autem versibus, quos Byro

[1] August. *De Civ. Dei*, l. V, c. 8.
[2] Tac. *Agric. vit.*, c. 30.

de Oceano finxit, versus, quos de cœlo condidit Manilius, fere opposuerim:

Quot post excidium Trojæ sunt eruta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Servitium imperiumque tulit, varieque revertit?
Trojanos cineres in quantum oblita refovit
Imperium? Fatis Asiæ jam Græcia pressa est.
Sæcula dinumerare piget, quotiesque recurrens
Lustrarit mundum vario sol igneus orbe.
Omnia mortali mutantur lege creata,
Nec se cognoscunt terræ vertentibus annis.
. . . .
At manet incolumis mundus, suaque omnia servat,
Quæ nec longa dies auget, minuitque senectus.
. . . .
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Adspicient. Deus est, qui non mutatur in ævo [1].

CAPUT X.

DE MORTE ET DE RERUM FINE APUD POETAS STOICOS.

Non minus de fine quam de principio et de regimine rerum a philosophis quæsitum est. Nemo enim

[1] Man. *Astr.*, l. I, v. 515 *.

* « Tes rivages sont des empires qui changent sans cesse, et tu restes toujours le même! Que sont devenues l'Assyrie, la Grèce, Rome et Carthage? Tes flots battaient leurs frontières au jour de la liberté; et plus tard, sous le règne des tyrans, leurs peuples esclaves ou barbares obéissent à des lois étrangères. La destinée fatale a converti des royaumes en déserts.... Mais rien ne change en toi que le caprice de tes vagues; le temps ne grave aucune ride sur ton front d'azur: tel tu vis l'aurore de la création, tel tu es encore aujourd'hui! » (*Childe-Harold*, ch. IV).

plane sanus et mediocriter eruditus rem tanti momenti, et quæ ad ipsum tam prope accedit, non examinatam, nec ponderatam potest relinquere. Iis temporibus quibus maxime viget deorum cultus, quisque, ratus alteram post hanc fore vitam, qualis illa futura sit vita potissimum scire cupit. Inde quæ tum de cœlestibus et inferis sedibus sunt a poetis eximie scripta. Sed, cum jam religionibus minor adhibetur fides, et nihil verum ducitur nisi firmissimis subnixum sit argumentis, tum homines, sua post mortem conditione, ut parum scibili, neglecta, utrum quidquam corpori vere supersit necne tantum curant. Tali studio vehementer commoti, ad id quod expetunt consequendum explicant omnes vires, et sapientiam poesimque novi generis in lucem efferunt. Etiamsi omnis dubitatio non sit sublata, cum res nostra, eaque maxima, agatur, nemo de ea incitatius et grandius scribet aut loquetur, quin nostros animos concitet, mentesque nostras quasi extra mundi fines abripiat. Multi enim sunt hodie homines qui miserandis illis Hamleti vocibus, mortis mysteria perscrutantis, gravius et vehementius afficiantur quam trita ista et obsoleta Tartarorum Elysiorumve descriptione, quæ parum credulis legentium animis minimum, aut ne mininum quidem, motum afferre solet.

Plurimum inter stoicos de animorum immortalitate disconvenit; nam alii animum continuo cum corpore exstingui, alii æternum eum agere ævum, alii tandem eum non semper, sed diu, post corporis mortem, vivere existimant. Quin etiam, idem auctor non sibi sem-

per constat. Seneca enim nunc diem istum, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalem fore contendit; nunc, hac de sententia decedens, hoc futurum esse post nos quod ante nos fuerit credit et confitetur. Hunc non rhetorem idcirco dixerim, locos quos ornate politeque tractet aucupantem, sed hominem duas inter opiniones, ut fit, fluctuantem, et nunc hanc, nunc illam scribendo evolventem. Sive in operibus mere philosophicis, sive in fabulis ei adscribi solitis, Seneca de morte, si non constanter, at vivide et graviter loquitur, ut qui quæ vere senserit in præsens dicat et enuntiet. Quid hoc Troadum carmine mirabilius? — Primum rem in contentionem vocat:

> Verum est? an timidos fabula decipit,
> Umbras corporibus vivere conditis?
> Cum conjux oculis imposuit manum,
> Supremusque dies solibus obstitit,
> Et tristes cineres urna coercuit,
> Non prodest animam tradere funeri,
> Sed restat miseris vivere longius?
> An toti morimur, nullaque pars manet
> Nostri, cum profugo spiritus halitu
> Immistus nebulis cessit in aera,
> Et nudum tetigit subdita fax latus [1]?

Neminem fugit rem non solum a poeta fuisse, more dialecticorum, in controversiam vocatam, sed ante oculos, pictorum ritu, quasi propositam, ut valdius legentium occuparet et corriperet mentes. Hæc conjux quæ conjugis claudit oculos, hæc urna quæ coercet cineres, hic spiritus in auras efflatus, nos, invitos etiam, atten-

[1] *Troad.*, v. 369.

tos faciunt et movent. Sic Marcus Tullius non ipse de immortalitate animorum disserit, sed Catonem inducit hac de re disputantem, sperantemque fore ut Marcum filium post mortem videat, et nos talia fingendo multo melius moratur; sic illustris poeta, æqualis noster, eadem instituta quæstione, rem tristibus exornat versibus, dum amantem, crinibus passis, depingit, in mortui lecto reclinem, aut sacri æris lugubri sono attonitas aures pulsat [1].

Propositæ quæstioni mira quadam cum majestate respondetur :

> Quidquid sol oriens, quidquid et occidens
> Novit, cœruleis Oceanus fretis
> Quidquid vel veniens, vel fugiens lavat,
> Ætas Pegaseo corripiet gradu.

Hic velim poetam e fabulis, quas carpit, nihil desumpsisse; sed quanta celeritate verborum, quam concitato dicendi impetu rapidum humanæ vitæ cursum in iis quæ prætereo effinxit! Ut fumus evanescit, ut disjicitur nubes,

> Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
> Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.
> . . . .
> Spem ponant avidi; solliciti, metum.

[1] Qu'il ne puisse de loin entendre sans frémir
Le triste chant des morts tout prêt à retentir,
Les soupirs étouffés d'une amante ou d'un frère,
Suspendus sur les bords de son lit funéraire,
Ou l'airain gémissant dont les sons éperdus
Annoncent aux mortels qu'un malheureux n'est plus!
LAMARTINE. *Médit.* V.

Hoc præceptum, ad animos mulcendos simul et solandos idoneum, ex isto tristi decreto erat colligendum. Dein sibimetipsi, ubi locorum post mortem futuri simus quærenti, his significantibus respondet verbis:

> Quæris quo jaceas post obitum loco?
> Quo non nata jacent.

Nemo, ut opinor, nisi Lucretius Carus, philosophicæ poeseos rex et antistes, audacissima hac irreverentia religionem fuit aggressus, nec tanta dicendi divinitate nihilum celebravit. Adeo miseri illorum temporum homines vivere longius horrebant! Adeo terrestris vita cœlestis etiam vitæ eis tædium attulerat!

His Senecæ versibus, quibus omnia in nobis mortalia et caduca esse declaratur, jam toties laudati Manilii versus opponere licet, ex quibus consequitur nos divinum quiddam et æternum habere. In nostrum enim unoquoque parvus quodammodo inest mundus; et, quemadmodum mundus ille magnus, qui ante oculos obversatur, duabus e rebus constat, quarum una, quæ vis, aut causa, aut mens nominatur, omnia efficit et movet, altera autem, quæ dicitur materia, huic formanda subjecta est; sic in parvo hoc mundo, quem nobiscum gerimus, inter se copulantur moles quædam iners et insipiens et mens vivida et sagax, universa ex mente delibata, ad eamque serius ocius reditura. Sed hæc ipse vates nobis multo copiosius et jucundius explicabit:

> An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
> In cœlumque redire animas, cœloque venire [1]?

[1] Man. *Astr.*, l. IV, v. 884.

Multa alia subjicit Manilius de animi nostri præstantia et de dotibus quibus subornatus in vitam venit, unde conficitur inter divinam humanamque mentem esse miram cognationem, et, hanc, non secus atque illam, immortalem fore:

> An quoquam genitos, nisi cœlo, credere fas est
> Esse homines? Projecta jacent animalia muta
> In terra, vel mersa vadis, vel in aere pendent.
> Omnibus una quies, venter [1].....

Solus animus hominis, ad sublimiora enisus

> Edomuit terram ad fruges, animalia cepit,
> Imposuitque viam ponto, stetit unus in arcem
> Erectus capitis, victorque ad sidera mittit
> Sidereos oculos, propiusque aspectat Olympum,
> Inquiritque Jovem, nec sola fronte Deorum
> Contentus manet, at cœlum scrutatur in alto,
> Cognatumque sequens corpus se quærit in astris [2].

Stoici, qui credunt mentem nostram corpori superstitem fore, volunt animos qui, per hujus vitæ tempus, puri et a terrenis cupiditatibus intacti remanserunt, corporis solutis compagibus, per ventos, imbres, nubesque ire, et totum hunc crassum et caliginosum aera permeare, ut ad illum, ex quo manarunt, tenuem sincerumque æthera revertantur, ibique, naturam nacti sui similem, stent paribus quasi examinati ponderibus, et quietum agant ævum. In hoc tantummodo dissensisse mihi videntur hi clarissimi viri, quod alii

[1] Man. *Astr.*, v. 894.
[2] *Idem*, v. 902.

medio in æthere, alii æthere sub imo et circa orbem lunæ piorum sedes ac domicilia collocaverunt. In hac magnificentia rerum animi illustres, puro circumfusi lumine, inter se jucunde colloquuntur, cœlestium scrutantur causas, ratos mirantur siderum cursus, et in his omnibus contemplandis ponunt summam felicitatem. Quid enim aut homine aut deo dignius quam rerum cognitio et scientia?

Profecto hoc vitæ genus non est id quod poetis præbere queat magnam ubertatem et quasi silvam dicendi; primo, quia semper sibi par et æquabile est; dein, quod homo, cum sit terreno hoc corpore gravatus, vix gaudia ab omni concretione materiæ segregata sibi fingit. Attamen, cum per se pulchra sit vita hujusmodi et maxime rationi consentanea, versibus, paucis quidem, sed non ignobilibus, fuit descripta.

Postquam candidum illum orbem, quam lacteam viam nominant, descripsit Manilius, quam ob causam hæc pars cœli quasi lacteo tincta fuerit colore curiosius exquirit. Scire velit utrum, Phaethontis curru vagante per immensa ætheris spatia, sidera horrendo incendio flagraverint, veterisque casus faciem cinerea specie adhuc referant; an (quæ fama est mollior) niveo e pectore Junonis lacteus liquor fluxerit et colore suo has sublimes infecerit regiones. Sed ad severiores easdemque verisimiliores deflexus cogitationes, vates potius arbitratur densissimas ibi congestas esse stellas, quæ collato fulgore nitent et candent, hancque maximis, qui unquam fuerunt, animis clarissimam sedem fuisse sepositam. Quæ sententia Musis adeo non repu-

gnat et a poetarum mente illa diviniori non abhorret, ut contra celeberrimus ævi nostri poeta in mollissimo carmine, quod omnibus in ore est, eam verbis expresserit, quum sidereo sub cœlo ambulans, Vesperi radios alloquitur, et unde veniant, et quæ defunctis de amicis ad ipsum referant, leniter requirit [1].

Sic Manilius:

An fortes animæ dignataquo nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, terræque remissa
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cœlum
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur [2].

Hic poeta locat non solum Achillem, Tydidem, aliosque qui fortitudine claruerunt, sed Lycurgum, Socratem, Platonem, cæterosque sapientiæ principes; nam apud Manilium, sicut apud Fenelonem, juxta heroum domos, sua sunt sapientibus domicilia:

Quique animi vires, et strictas pondere mentes
Prudentes habuere viri, quibus omnis in ipsis
Census erat, justusque Solon, fortisque Lycurgus,
Æthereusque Platon, et qui fabricaverat illum,
Damnatusque suas melius damnavit Athenas [3].

Hanc in venerandam heroum sapientiumque sedem Lucanus inducit Pompeii magnam umbram parvo e

[1] Doux reflet d'un globe de flamme,
Charmant rayon, que me veux-tu?
Viens-tu dans mon sein abattu
Porter la lumière à mon âme ?

Lamartine. *Médit.* IV.

[2] Man. *Astr.*, l. I, v. 763.

[3] *Idem.*, v. 776.

busto prosilientem, eamque nobis ostendit jam fruentem summa pace, altoque e cœlo reliquias corporis despicientem :

> . . . . Illic postquam se lumine vero
> Implevit, stellasque vagas miratus et astra
> Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
> Nostra dies, risitque sui ludibria trunci [1].

Nemo est certe puri sincerique judicii, qui Homericis Virgilianisque illis carminibus, quibus tam vividas animosasque heroum mortuorum expresserunt imagines, hæc stoici cujusdam Elysii a Manilio et Lucano vix adumbrata signa audeat anteponere. Libenter tamen affirmaverim præstantiorem in horum quam in illorum mente speciem perfecti ejusdemque beati hominis insedisse, quam verbis absolute efficere non potuerunt, et quæ nihilominus ipsorum in versibus, quasi per caliginem, videtur. Sic illi medii ævi artifices quorum, nostris his temporibus, tanta nostros homines incessit admiratio, cogitatione perfectum aliquid et excellens complectebantur, quod vix percipimus, suspicamur tamen, inchoatis eorum in operibus. Quanto enim ille Lucani Pompeius, aut alius quilibet, qui, virtute evectus ad superas domos, hominum inanes curas et cæcas cupidines contemnit, Homericum istum Achillem præstat, adeo suis in Elysiis campis aut infelicem aut amentem, ut, si modo vitæ posset iterare cursum, turpiter factus de rege servus, rigando et colendo hortulo formidolosas locaret manus! Quanto

[1] Luc. *Phars.*, l. IX, v. 11.

stoicus noster heros, æterna defixus meditatione, sublimiore sui parte, mente videlicet, utens ét vere divinum agens ævum, Virgilianos istos heroas superat, qui nihil melius et antiquius ducunt quam in arena colluctari et corpora palæstris, nullum in usum, exercere! Quod si Pompeius truncum non curat in litore jacentem et ludibrio habitum, hoc quoque poetam arguit existimantem corpus parvi momenti esse et in mente sola totum fere consistere hominem. Hic rectius profecto et sanius quam qui, sensibus obnoxii, tantam corpori impendunt operam, ut se nihil esse nisi corpora putare videantur. Socrates Critoni, ab eo quærenti quomodo sepeliri vellet, respondisse fertur, se nec sepeliri, nec corripi etiam posse, sed post mortem corporis e vinculis esse evolaturum. Item, sancti Augustini mater moriens, quærentibus nullone afficeretur desiderio, quod corpus suum externa et longinqua relinqueret in terra, terram nullam ait longe a Deo abesse. Sic poetæ stoici, versibus quos retulimus, nobiliores sensus quam priores poetæ expresserunt, atque ea in medium protulerunt quibus tunc egregius quisque animus præcipue commovebatur. Jam obsoletis priscorum carminibus repudiatis, nova et magis apta ad tempus quo vivebant carmina omni ope, nec infeliciter, nixi sunt condere.

Juxta stoicos, non solum suus est cuique terminus ac finis, sed etiam totus hic mundus olim flagrabit et corruet vetusque revertetur ad Chaos. Universa hæc conflagratio, quam Græci dixere *ἐκπύρωσιν*, si parum diligenter rem consideraveris, ab illo supremo judicio,

sæpius apud nos celebrato, non multum discrepare tibi videbitur. Nam, ut stoicis, sic christianis placet mundum, igne solutum, immensam daturum esse ruinam: «Cœli, inquit divus Petrus, magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur[1].» Cum vero novissimum illud judicium oratoribus, pictoribus et poetis recentioribus amplam et uberem præbuerit materiam, ex qua absolutissima effinxerunt opera, stoica hæc exustio mirum videtur si artibus et litteris magnum non suppeditaverit argumentum.

Sed ita homines constituti a natura fuerunt, ut unum hoc poema eos posset diu juvare, quod in scenam inducit homines. Frustra mihi tempestatem, diluvium, conflagrationem, res denique maximas et teterrimas depinxeris; me lentum et frigidum relinques, nisi hominem quemdam, mei similem et aliquo permotum affectu, quasi oculis meis subjeceris. Hoc habet, et id maxime, supremus ille omnium hominum conventus ante tribunal Dei. Nunquam enim terrestris judex, suo sedens in tribunali, tantum adstantibus injecit terrorem, quantum, non adstantibus, sed solum cogitantibus, judex ille cœlestis, qui de universis statuet hominibus, et plerosque æternis suppliciis damnabit. Stoica autem conflagratio ad physica magis quam ad moralia pertinet, quippe quæ immutabili fatorum ordine sit statuta, nec varias illas exhibeat personas, quarum timent aliæ, aliæ autem terrent. Porro, quæ ab homi-

[1] *Epist.* II, c. 3.

num aut deorum voluntatibus proficiscuntur, ea multo magis quam quæ oriuntur a natura rerum solent animos inflammare. Præterea, pauci inter poetas stoicos ad rem tractandam incubuerunt, et materiæ paulum ars defuit. Factum est nescio quomodo ut qui conflagrationem hanc verbis exprimendam susceperunt, de hominibus pene omnino siluerint, non secus ac si quis ex Homerica illa tempestate Ulyssem fluctibus obluctantem abstraheret, aut e tabula, in qua artificum gallicorum celeberrimus diluvii effinxit similitudinem, quidquid vivit et spirat auferret, nec quidquam relinqueret nisi mare et cœlum. Id non miror si acciderit Lucano, qui rem breviter et cursim attigit, ut qui alio properaret; sed in idem incidit vitium ipse Seneca, qui de hac re pluribus disseruit. Sic Lucanus:

. . . . . . Quum compage soluta
Sæcula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ...
. . . . totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi [1].

Hic aliqua sane apparet amplitudo et sublimitas, quam tamen jam sæpe laudatus gallicus vates, easdem fere sententias et imagines referens, aut superavit aut certe æquavit [2].

Audiamus nunc Senecam diversis numeris, diversisque verbis, eadem prope dicentem:

[1] Luc. *Phars.*, l. I, v. 72.
[2] Lamartine. *Médit.*, V.

. . . .
Jamjam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies,
Anstralis polus obruet
Quidquid per Lybiam jacet,
Et sparsus Garamas tenet.
Cœli regia concidet,
Certos atque obitus trahet,
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua et chaos [1].

In illius carminis quum sententiis, tum numeris atque modis plura, nisi fallor, reperire est, quæ memoriam revocant sacri hujus hymni, quo Ecclesia perterret fidelium animos, et quo, germanica in fabula, puellæ nocentis aures resonant :

Dies iræ, dies illa
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Posterius autem carmen priore mihi videtur sublimius, quod nostros ante oculos ponit homines variis affectibus motos, et non solum mortem, sed etiam morte multo formidolosiora horrentes supplicia, eaque, non a lege, re surda, sine studio et ira, sed irato a judice irroganda.

[1] *Herc. Œteus*, v. 1100.

CAPUT XI.

DE MORIBUS APUD POETAS STOICOS.

Nihil aut patenti super nos cœlo, aut intima nobis virtute, pulchrius esse censebat præclarus apud Germanos philosophus. Nec injuria. Ut enim ex omnium concursu siderum, uni eidemque legi parentium, cœlestis ille fit ordo, quem nemo est qui non magna motus admiratione suspiciat; sic e cunctis humanæ vitæ partibus, eodem una ratione duce tendentibus, hæc efficitur et conflatur concordia, quam divino quodam nomine virtutem appellant. Hic etiam mirus humanarum rerum consensus eo magis illi alteri præstat, quod, non ab ineluctabili quodam fato, sed ab homine libero et erecto, ac vitæ tempestatibus obnitente, proficiscitur. Nullum est enim spectaculum, ut ab ipsis stoicis animadversum est, aut majus, aut Deo dignius, viro rebus cum adversis confligente.

Itaque Cornelius ille, qui immortalem in litteris genti nostræ comparavit gloriam, quum, Seneca et Lucano lectis, stoice, id est, fortiter et generose sentire cœpisset, novum et pene inauditum condidit fabularum genus, in quibus induxit nobiles et magnanimos viros, qui, omnibus pulchro et honesto posthabitis, constanter responsarent suis cupidinibus, et homines incredibili quodam virtutis amore accenderent. Quod si res paulo minus prospere apud Romanos cessit, non stoici sunt ideo accusandi; non enim tantum de-

fuit poetis stoica disciplina, quantum stoicæ disciplinæ poetæ defuerunt. In res enim a communi hominum captu remotiores nimis fortasse incubuerunt, nec eas præclaris illustraverunt exemplis, ita ut eorum versus minus moverint animos quam Ciceronis soluta oratio, de qua Erasmus, stoico illo *De Officiis* libro perlecto, egregie dixit: « Sic me totum inflammavit ad honesti virtutisque studium, ut jampridem nil tale senserim, nostrates quosdam neotericos legens qui, christiani, christianæ philosophiæ mysteria profitentur. »

In poetarum romanorum carminibus plurimos tamen locos reperias stoicam disciplinam ejusque præcepta redolentes, qui legentem magnopere delectabunt. Quo in numero ponendum est, ni fallor, quidquid de variis hominum officiis subobscure quidem, sed concise ac presse Persius scripsit. Eximius hic poeta non minuta tantum et quasi dissoluta præcepta edidit, nullo vinculo inter se conjuncta et nulli decreto subjecta; omnia autem quæ præcepit tendunt ad rem eamdem, de qua suos nunquam dejicit oculos. Itaque juvenem qui temere et sine proposito ætatem agit, et cujus vita toto ordine disconvenit, hoc modo increpat:

Est aliquid quo tendis et in quod dirigis arcum,
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis [1]?

Hæc simplicia et familiari sermoni proxima; in iis autem quæ sequuntur poeta tollit vocem:

[1] Pers. *Sat.* III, v. 60.

Disciteque, o miseri, et causas cognoscite rerum:
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur...
. . . . Quem te Deus esse
Jussit, et humana qua parte locatus es in re
Disce.

Sic ex alto universum hunc mundum consideranti, urbes et regna certo judicio æstimanti, et in semetipso quidquam sentienti esse divinum, quid patriæ, quid propinquis parentibusque elargiri deceat satis erit perspectum et cognitum, nec nescio cui causidico stulte invidebit,

. . . . Quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris;
Et piper et pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.

Sin contra, libidinibus a recta deductus via, desidiæ se dederit ventrique servierit, cum longior pars ætatis per otium aut malas artes fuerit elapsa, tum quod veram non vixerit vitam sibimetipsi acerbe exprobrabit, et noctes atque dies conscientiæ acribus stimulis exagitabitur. Hæc vivide, poetarum comicorum more, personis in scenam inductis, depinxit Persius:

Nempe hæc assidue! Jam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare falernum
Sufficiat [1]!

Tum delineat iracundiam juvenis, hesterna lassi crapula, nullam ad rem idonei, nunc chartam, nunc calamum, nunc atramentum, omnia denique præter

[1] Pers. *Sat.* III, v. 1.

semetipsum incusantis, quippe qui inscius, rerum pretiosissimam, tempus deterit. Totum hunc locum, quæso, relege : verbo cuique suum esse momentum videbis et vix esse illis omnibus quidquam significantius.

> . . . . Sed rure paterno
> Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
> (Quid metuas?) cultrixque foci secura patella[1].

Ut Persius crassa ista bona, si modo bona sunt appellanda, dedignatur! Post hæc stultam superbiam juvenis, censorem propinquum jactantis, et alienam in famam irrepentis irridet:

> Ad populum phaleras! Ego te intus et in cute novi[2]!

Præclaram sententiam et ex intima stoicorum disciplina desumptam! Dum vulgus, stolidum si quod fuit unquam pecus, vana et externa eademque fulgentia et oculos perstringentia miratur, sapiens vera et interna tantum bona, ea videlicet quæ in animi dotibus constant, suspicit.

Dein Persius animum describit scelerum consuetudine occalescentem et vitio paulatim stupentem, ita tamen ut, si quis nondum exuerit omnem virtutis sensum, in eo virtus relicta acre sui desiderium excitet. Quicumque enim diligenter ponderaverit versus quibus noster seu tauri ahenei gemitibus, seu gladio auratis e laquearibus pendenti, malæ conscientiæ ululatus et

[1] Pers. *Sat.* III, v. 24.
[2] *Idem*, v. 30.

minas comparavit[1], is fatebitur neminem quum apud veteres, tum apud neotericos, mordaces curas quibus nocens quisque torquetur vividioribus imaginibus expressisse.

Sed non satis est hominem vitiis esse vacuum et stultitia omnino carere : hunc oportet omnibus subornari virtutibus, inter quas primum locum occupat fortitudo. Hæc est, stoicorum quidem sententia, vera virtus, ex qua aliæ omnes nominatæ fuerunt, et quæ est hominum naturæ maxime accommodata. Quam qui colunt, ii, omnibus humanis rebus præ honesto despectis, non dubitant ipsam vitam vero impendere, et soli habendi sunt viri. Quod cum Horatius Flaccus intelligeret, et nobilem illam sapientis imaginem vellet adumbrare, præclarissima condidit carmina. Nonne antiquam severamque Zenonis disciplinam revocat ille Cato de quo illustris vates:

> Et cuncta terrarum subacta
> Præter atrocem animum Catonis[2]?

Nonne ejusdem disciplinæ præcepta, quamvis inscius, Regulus colebat, cujus miram eonstantiam singulari quadam verborum sublimitate idem poeta extulit, dum nobis ostendit egregium illum virum conjugem et liberos a se removentem, consilio nunquam alias dato labantes patres firmantem, atque hostem infensum diraque supplicia vultu sereno petentem[3]?

[1] Pers. *Sat.* III, v. 35.
[2] Hor. *Od.* l. II, *Od.* 1.
[3] *Idem*, l. III, *Od.* 5.

Nescio an Marcus Tullius, qui Regulum omni laude cumulavit[1], ab Horatio fuerit superatus, adeo, in re tanta versibus effingenda, nihil fucatum, aut arcessitum, aut inflatum sit, et omnia placida quadam majestate sint insignia! Horatium credas veteres illos, cum poetas, tum omnis generis artifices imitatione consequi voluisse, qui mites hos et rationi consentaneos animi motus, quos mores appellant, potius quam varios et concitatos illos hominum affectus, quas vocant perturbationes, seu verbis, seu saxo et ære exprimere nitebantur[2].

CAPUT XII.

DE RELIGIONE APUD POETAS STOICOS.

Inter varia officia quæ sunt homini per hujus vitæ cursum explenda, præcipuo in loco semper fuit pietas et religio. Hæc autem alia aliis in temporibus extitit: quippe quæ cum iis quæ summo de numine senserunt homines sine ulla intermissione mutaverit, nec, ullo quidem temporis puncto, in uno et eodem statu permanserit. Quum homines cogitando sibi fingerent deos quibus fere humana essent corpora, humani appetitus, nostrisque similes cupiditates, tum in immolandis eorum ante aras tauris et capris maximam ponebant pietatem. In Iliade Homeri, qui vetustatis locupletissimus habetur testis, quas preces Chryses sacerdos,

[1] Cic. *De Off.*, l. III, c. 28, 29, 30, 31, 32.
[2] *Essai sur la métaph. d'Aristote*, par M. Ravaisson, t. II, p. 68.

nata vi rapta, suo Apollini admovet? Num anteactam honeste ætatem, num æternas sacranctasque pudoris leges, num denique divina humanaque omnia jura testatur, ut parenti reddatur filia, et Græci debitas immanitatis solvant pœnas? Nihil horum sacerdoti venit in mentem, nec talia curare Apollinem sane arbitratur; sed hujus revocat ad memoriam pinguium victimarum odorem quas illi quondam mactavit, quasi magnus hic Deus suavem exspirare odorem habuerit antiquius quam vitam humanam contemplari rationi consentientem:

.... Εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
Ταύρων ἠδ' αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ[1].

Alio in Iliadis loco Diana Ætolis, Ætolorumque regi graviter irascitur, nullum aliud ob scelus, nisi quod nullam ipsi immolaverint hostiam, et sævum aprum immittit qui totam populetur regionem:

Ὦρσεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον, ἀγριόδοντα
Ὅς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν, ἔθων Οἰνῆος ἀλώην[2].

Quæ autem homines, Homericis temporibus, de diis existimaverant, ea paulatim, philosophia invalescente, fuerunt in melius immutata; ita ut, Seneca et Persio florentibus, multorum mentes Dei unici ejusdemque perfecti jamdudum imbuisset opinio. Quæ cum ita sese haberent, quicumque non res a mente, ab animo, a vita denique tota alienissimas scribendo persequen-

[1] Hom. *Il.*, l. I, v. 40.
[2] *Idem*, l. IX, v. 539.

das poetis assignaverit, is fatebitur hos ab Homeri vestigiis deflectere debuisse et novam sibi munire viam.

Hos inter poetas maxime eminuit Persius, qui homines superstitiosos eosdemque impios tam acriter insectatur. Seneca jam antea de talibus Deorum irrisoribus dixerat: « turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent; et quod scire homines nolunt, Deo narrant[1]. » Quanto autem impetu, quanta vi et contentione eosdem homines poeta exagitat!

> Mens bona, fama, fides, hæc clare et ut audiat hospes:
> Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat: « O si
> Ebullit patrui præclarum funus!... Et: O si
> Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
> Hercule!... Pupillumve utinam, quem proximus hæres
> Impello, expungam! Namque est scabiosus et acri
> Bile tumet.... Nerio jam tertia conditur uxor[2]! »

Noster iste impius deorum cultor mane Tiberi lavatur, ratus ex aqua omnem, ut corporis, sic animi, elui labem. Nullum, ne minimum quidem, e sacris ritibus negligit; vera autem et magna hominum officia nullo in numero habet, quippe qui falsa de Deo sentiat, a cujus cognitione nullum non manat officium. Jovem autem, quod ei vivide exprobrat Persius, vappam ducit et nebulonem; nam quod a Staio aut a quovis nummario judice non audeat petere, id ab ipso Jove flagitare non dubitat:

[1] Sen. *Epist.* 10.
[2] Pers. *Sat.* II, v. 8.

Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedium Staio: Proh Jupiter! o bone, clamet,
Jupiter! at sese non clamet Jupiter ipse [1]!

Si te et tuum sceleratum caput non jamdudum fulmine percussit, num

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter! aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis [2]?

His versibus confer Senecæ præclara verba, quæ eamdem severius enuntiant sententiam, et quibus non video quid Patres Ecclesiæ, ad paganorum debellandam religionem, adjecerint: « Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia et recta voluntate [3]. »

Tum Persius minus nocentia quidem carpit vota, sed quæ tamen veræ rationi multum discrepant. Philosophia enim ejusmodi est, quæ nihil non modo injustum, sed etiam absurdum, usquam aut dici aut fieri æquo animo patiatur, et omnia funditus repudiet quæ homines Dei ignaros usque ad belluas dejiciant. Vide stultas istas anus infantis in cunabulis reclines, frontem et labella salivis expiantes, ineptaque vota facientes, et dic quantulam sedem vetulis his in cerebris occupet acerrimum illud, homini datum a Deo, ingenium [4]!

[1] Pers. *Sat.* II, v. 21.
[2] *Idem*, v. 28.
[3] Sen. *Epist.* 115.
[4] Pers. II, v. 31.

Incassum Dei gratiam et beneficia aliquis, appositis dapibus, captet, judice Persio; nam contra:

> . . . . . . Grandes patinæ tucetaque crassa
> Annuere his superos vetuere, Jovemque morantur [1].

Frustra in hostias Deo mactandas et in aurea vasa sacerdotibus offerenda magnum effundat patrimonium: non externa, sed interna bona ab eo requirit Deus.

Præclara quædam de sacrificiis rite perpetrandis et de offerendis Deo muneribus scripsit Plato, quæ auctor inter recentes celeberrimus, in eo opere quod de legum ingenio composuit, valde miratus est [2]. Vult philosophus atheniensis superos non facile sacrificiis placari, eosque contendit impiorum respuere munera, quippe quæ a quolibet homine, si modo sit mediocriter honestus, non accipiantur. Præterea, egregio illi viro, Ciceronique ejus discipulo placet non splendida ante aras congeri dona, nec omnia in templis auro argentoque fulgere; sola enim venerantium pietate delectari Deum. Hæc eadem stoicus noster poeta nobilissimis versibus declaravit, quibus vasa magnifica a templis removeri jubet, easque terrestres cœlestiumque inanes appellat animas quæ Deos sibi fingunt habendi cupidos eorumque in penetralia nostros mores immittunt:

> Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
> Non possit magni Messalæ lippa propago,
> Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
> Mentis, et incoctum generoso pectus honesto [3]?

[1] Pers. *Sat.* II, v. 42.
[2] Montesq. *Espr. des lois*, l XXV, c. 7.
[3] Pers. *Sat.* II, v. 71.

Quoties vera religio, vanis cærimoniis prius obruta, caput extulit, toties in animi virtute, potius quam in rebus externis sinceram posuit pietatem. Itaque in Evangelio multa reperias ab iis quæ retulimus parum abhorrentia, et apud Ecclesiæ Patres plurima legere queas Persianis versibus mire congruentia. Quin etiam, Lactantius illos versus suis illustrat commentariis, et de Persio locutus: « Sentiebat videlicet, inquit, non carne opus esse ad placandam cœlestem majestatem, sed mente sancta, et justo animo, et pectore, ut ipse ait, quod naturali sit honestate generosum [1]. »

Cæterum hæc omnia Persianis e versibus deprompta vix orationis desiderabant ornamenta; adeo per sese et sine verbis suam habent pulchritudinem; nam veritas, vel nuda, nitet.

CAPUT XIII.

DE LUCILIO STOICORUM DISCIPULO.

Mihi poetas Romanos, quorum mentes imbuerit Zenonis disciplina, ex ordine recensere cupienti, et quid eorum quisque stoicis hauserit e fontibus expedire verbis optanti, Lucilius, ille præclarus satirarum scriptor, in primis, si temporis ratio habetur, occurrit nominandus: quippe qui ea tempestate vixerit, qua nobilia illa dogmata, Athenis quondam orta, non solum Romam, sed universum prope terrarum in orbem defluxerant, iisque familiarissime usus sit hominibus,

[1] Lact. *Inst.* l. VI, c. 2.

qui his institutis et præceptis perquam delectabantur. Panætius enim celebrem aperuerat Romæ ludum, in quem Mucius Scævola, Rutilius Rufus, aliique lectissimi juvenes frequentes conveniebant, idemque cum Scipione et Lælio singularem quamdam devinxerat necessitudinem. Porro Lucilium constat magnis his viris fuisse amicissimum, et Rutilium Rufum suorum operum judicem unice esse veritum, ac magis quam cuiquam credibile est ejus religioni in litteris serviisse. Ex quo non perperam, opinor, colligeretur nostrum poetam, si non germanus fuerit stoicus, at saltem non potuisse quin stoicorum placita primoribus labris attingeret. Quum autem generosam ejus libertatem ex qua, Quintiliano judice, effluxit *acerbitas et abunde salis;* quum præterea vividum illum ardorem quo improbissimum quemque, *ense* velut *stricto*, ut ait Juvenalis, insequitur; quum denique ejus animum, justitiæ tenacem et *uni æquum virtuti*, quem Horatius prædicat, mecum reputo; tum fere ad id adducor ut credam Lucilium, non tanquam hospitem, sed tanquam unum ex domo, stoicorum adiisse lares, ibique ingenii pastum potissimum quæsivisse.

Quæ quoquomodo sese habuerint, stoicum esse aliquid fatearis necesse est in versibus, quos, a Lucilio de virtute scriptos, posteris tradidit Lactantius. Huic enim auctori, cui deliberatum et constitutum erat præcipuas philosophorum de virtute exponere et refellere opiniones, nihil potius reique accommodatius visum est quam quæ hoc eodem de argumento Lucilius dixerat referre et suis examinare ponderibus. Nam quæ-

cunque Panætius et Marcus Tullius magna cum dicendi ubertate et copia, in suis De officiis operibus, explicaverunt, eadem, ipsi Lactantio si creditur, Lucilius, brevius et angustius pressa suis in definitionibus complexus est: « Prius, inquit Lactantius, quam singulas virtutes exponere incipio, determinanda est ipsa virtus.... Quæcumque autem in definitione virtutis solent dicere, paucis versibus colligit et enarrat Lucilius: quos malo equidem ponere, ne, dum multorum sententias refello, sim longior quam necesse est[1]. »

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum,
Queis in versamur, queis vivimu' rebu' potesse:
Virtus est homini, scire id, quod quæque habeat res.
Virtus scire homini rectum, utile, quid sit honestum;
Quæ bona, quæ mala item, quod inutile, turpe, inhonestum.

His in versibus hoc aut illud verbum de loco suo prave forsan fuit motum, aut rectius omnino fuisset recisum; sed tamen Lactantio non assentior dicenti, ideo Lucilium nimis redundanti usum fuisse oratione, quod honestum et inhonestum, utile et inutile nominaverit, ubi bonum et malum satis fuisset dicere; quod enim bonum, inquit, id quoque utile sit necesse est. Hoc, credo, Lucilium nequaquam fugit, sed, ut plerisque stoicis, ita ei placuit rem eamdem plures versare in partes; Ciceronemque, in suo *De Officiis* libro, Horatiumque, notissima in epistola, idem video fecisse, nec in vituperationem ullam cecidisse. Sic de Homero hic loquitur:

[1] *Inst. chr.*, l. VI, *c.* 5.

. . . Quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

Cæterum, mihi Lucilianum hunc versum legenti :

Virtus est homini, scire id, quod quæque habeat res,

continuo omnia veniunt in mentem, quæ pro scientia et contra opinionem stoici dixerunt, et præsertim hæc eximia Senecæ verba : « Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque majusculis pueris evenit; illi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt : non hominibus tantum, sed et rebus persona demenda est, et reddenda facies sua[1]. »

Sed videamus reliqua :

Virtus, quærendæ rei finem scire modumque :
. . . .
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum;
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum :
Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

Hic forsitan quædam deprehendas quæ poetam arguunt nec caput (quod vult Horatius) scabentem, nec vivos ungues rodentem : verba dico eadem geminata et versus eodem modo cadentes, atque alia quæ sunt certe hominis de rebus magis quam de verbis laborantis et limæ moram aspernantis. Sed sententiæ his subditæ verbis, non solum sunt stoicæ, sed etiam (hoc Lactantii

[1] Sen. *Epist.* 24.

pace dixerim) veræ, magnificæ, et rudem incompositamque orationem efficiunt gravissimam ac præstantissimam.

Agnosco stoicum eumdemque nobilem et generosum virum, pro æquitate propugnantem, his in verbis quibus se malorum profitetur esse insectatorem, et bonos magno prosequi studio. Stoicum quoque planius reperire est in versibus quibus patriam ante omnia, tum parentes, denique semetipsum ponendum esse existimat; nam Marcus Tullius, Panætium stoicum secutus, et eamdem enuntians sententiam, iisdem fere verbis utitur.

Capitale hoc odium, non ab invidia, sed a virtute natum, quo poeta noster incenditur in improbos, sic alias erumpit:

. . . .
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti;
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Vir bonus quilibet, etiam non stoicus, si modo poetica facultate valuisset, sic profecto (fatebor enim) potuit indignationi vela dare. Attamen, cum Porticus a fallaci imitatione simulationeque virtutis præcipue abhorruerit[1], omnesque homines velut quædam corporis ejusdem membra habuerit, communi caritatis vinculo conjuncta, et ut mutuam sibi præstent operam ordinata, nequaquam mirarer, si quis contenderet hæc dicta: « Verba dare ut caute possint.... ut si hostes sint

[1] Cic. *De Off.*, l. I, c. 13.

omnibus omnes » et alia ejusdem generis a poeta stoicissante potissimum debuisse proficisci.

Idem de epitaphio est existimandum, in quo suam erga Metrophanem, unum e servis, benevolentiam significat:

Servu' neque infidus domino, neque inutili' quoiquam
Luceili columella heic situ' Metrophanes.

Qui versus, asperi quidem et quasi (quod jampridem animadversum est) *per salebras et saxa cadentes*, generoso tamen ac raro apud veteres affectu insignes, aut a bona poetæ natura, aut a nobili Zenonis disciplina, velut a fonte, derivati fuerunt. Nemo enim nescit quanto amore servos stoici amplexi fuerint, cujus rei quum alios multos, tum maxime Senecam locupletem habemus testem: « Servi sunt? inquit. Imo homines. Servi sunt? Imo contubernales. Servi sunt? Imo humiles amici. Servi sunt? Imo conservi, si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunæ[1]. »

Quid de versibus dicam quibus noster poeta exagitat homines terricolas Lamias metuere et horrere solitos, aut de carmine in quo Jovem inducit gravi desiderio motum quod priori deorum non affuerit concilio, et candide querentem quod mortales deum unumquemque patris nomine salutent, et Neptunum ita implicite facit loquentem, ut novissime dicat rei nodum disserendo expediri non posse,

Nec si Carneadem ipsum ad nos Orcu' remittat?

[1] Sen. *Ep.* 47.

Quibus ex omnibus patet veterem illum poetam, qui, ut Lactantianis utar verbis, «Diis et hominibus non pepercit,» quum philosophiam, tum maxime philosophiam stoicam coluisse.

Erunt fortasse qui mihi objiciant, quod Lucilius adeo non stoicissaverit, ut contra verbis carpserit stoicos. Lucilii enim hi sunt versus :

. . . . Nondum etiam hæc omnia habebit.
Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur.

His autem verbis, quamvis essent clariora, Lucilium non ita fuisse stoicis addictum, ut in eorum verba juraret, tantum vinceretur; eum autem non plus minusve stoicissavisse, nullo modo.

Post Lucilium, satiras quoque, sed eas non parum diversi generis, scripsit Varro, is qui doctissimus Romanorum fuit appellatus. Hic tamen cum illo id habet commune, quod multa e philosophorum operibus deprompta suis in versibus conclusit. Cum enim viveret apud homines a philosophia remotissimos, ut ad eam rudes et aversas popularium mentes alliceret, sapientium placita, quum sermonibus distincta, tum facetiis condita, in lucem protulit; in quo hunc poeseos et philosophiæ concentum, quem quærimus, efficere conatus est. Utrum vero vir doctrina eruditissimus idemque ingenio acerrimus quod sibi proposuerat fuerit consecutus necne, paucissimæ ipsius satirarum reliquiæ nos recte dijudicare non sinunt.

Cum autem Varro, teneris ab annis, philosophiæ operam navavisset, Antiocho magistro, qui inter Car-

neadem et Chrysippum incertus, ab Academia et a Porticu æquali fere spatio distabat; eum multis sententiis, e stoicorum disciplina sumptis, Menippeas illas satiras aspersisse verisimile est. Sed tamen ille, Academicorum more, et ut qui germanus non esset stoicus, ipsis stoicis non semper pepercit; nam in sapientem eorum, qui dicitur solus rex, solus rhetor, suam exercuit dicacitatem; incredibilemque præsertim istam cupiditatem, qua tum multi eorum flagrabant, sibi consciscendi mortem, jocis tentavit restinguere.

Cæteros vero philosophos non indulgentius habuit. Quos irreverenter et perridicule depingit colluctantes, eosque ait:

> Ut in litore cancri digitulis primoribu' stare.

Tum, recognitis eorum opinionibus et sententiis, addit:

> Postremo nemo ægrotus quidquam somniat
> Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.

Idcirco autem Varronem aliquando stoicorum decreta versibus explicavisse crediderim, quod in satira, eaque fere sola cujus plane appareat propositum, pro hac stoicorum thesi propugnat, omnes scilicet homines esse insanos.

CAPUT XIV.

DE HORATIO FLACCO STOICORUM DISCIPULO.

Horatio Flacco adeo liberum, amabile, atque ad omnia versatile fuit ingenium, ut vix quemquam reperias qui eum unum e duris Zenonis sectatoribus habere et angustis domus eorum parietibus circumscribere audeat. Rara limatus urbanitate, exquisito præditus judicio, neque a communi hominum sensu unquam recedens, ille poeta non is erat qui placita quædam insolita et nescio quam rusticanam asperitatem habentia profiteretur, eisque unice et pertinaciter adhæreret. Hinc contra atque illinc eximias sententias excerpsit quas intexeret suis carminibus, ita ut unaquæque philosophorum familia eum jure et queat et nequeat pro suo vindicare.

Nunc Epicurum unum ducem sequi videtur, nihilque curare nisi Falernum, et dulces sub noctem susurros, et Glyceram marmore Pario purius splendentem; nunc illum credas eadem sentire quæ sentit Aristoteles, qui in quadam temperantia et moderatione omnem virtutem posuit[1]. Aliquando autem inter duas distrahitur sententias[2]. Sæpe tandem de vanis hominum consiliis, de curis quibus torquentur, de morte omnia secum ablatura, ea jucundissime pro-

[1] Hor., l. I, *Ep.* 1; *Ep.* 6, v. 15.
[2] *Idem*, *Ep.* 1, v. 16.

fert, quæ nulli sint propria philosophiæ, et de quibus nullum heu! possit esse dissidium[1].

Quod ad stoicos attinet, mirabile est quantum Horatius eorum decreta et præcepta obtrectaverit, idemque versibus suis illustraverit[2]. Quoties fere, omisso omni ludo, hoc sibi proponit, ut hominibus veram vitæ viam monstret, toties a Zenone potius quam ab Epicuro quæ doceat exposcit. Quid est enim cur virtute aurum esse vilius prædicet, et miretur quatuordecim patere quadringentis; animo, moribus, fideique esse clausos? Quid est cur virorum iniquis institutis puerorum næniam, maribus Camillis olim decantatam, præferat, quæ regnum recte facientibus pollicetur; generoseque ac fortiter pronuntiet hunc murum aheneum esse debere,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa[3]?

Hic audire vere tibi videaris stoicum quemdam cuncta honesto posthabentem, et animi bona pluris quam externas opes facientem.

Dixerit fortasse quispiam ea, quemadmodum epicurea non sunt, sic fieri posse ut non sint stoica: quippe nullum fere esse philosophum e tota Socratis domo, qui ea dicendo exprimere non potuisset. At quæ his addidit Horatius ad sententias et verba stoicorum propius accedunt, qui libertate et ea animi contentione, quam sive *τόνον*, sive *ἐπίστασιν* nominabant,

[1] Hor., l. II, *Od.* 14, v. 21.
[2] M. Patin, trad. d'Horace, préface, p. LXXXI.
[3] Hor. *Ep.* l. I, 1, v. 60.

omnem terminabant virtutem. Eum tibi vult esse audiendum,

> . . . . Qui fortunæ te responsare superbæ
> *Liberum* et *erectum* præsens hortatur et optat [1].

Nunquam Romanos ad antiquos mores revocare, et sopitos avitæ virtutis igniculos excitare conatus est, quin (sponte an invitus sim dicturus dubito) germanus evaserit stoicus. Quis unquam de paupertatis et mortis contemptu, quis de amore quo patria sit prosequenda, quis de ipsa per sese expetenda virtute, stoicis locutus est eloquentius? Porro eis proxima noster poeta scripsit, qui fecundam virorum paupertatem esse dicit, et statuit flagitium pejus letho esse metuendum [2]. Quin etiam ea sola bona vult esse nostra, quæ nostra sunt sub potestate neque ex alieno arbitrio pendent:

> Virtus, repulsæ nescia sordidæ,
> Intaminatis fulget honoribus;
> Nec sumit aut ponit secures
> Arbitrio popularis auræ [3].

Si quis autem compertum volet habere quantam vim, quantumque spiritum imbelli, ut eam ipse nominat, Musæ Flacci addiderint Zenonis præcepta, quantamque ad dicendi divinitatem illam extulerint, aut jam laudata de Regulo legat carmina, aut ea in quibus stoicorum sapientis videtur voluisse adumbrare imaginem:

[1] Hor. *Ep.* I, 1, v. 68.
[2] *Idem*, l. I, *Od.* 12, v. 41; l. IV, *Od.* 9, v. 49.
[3] *Idem*, l. III, *Od.* 2, v. 17.

Justum ac tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas [1].

A me requiri non puto ut carmen dilaudem longius, quod ipsis pueris notum est, et quod imperitis etiam incredibilem quamdam movet admirationem; sed non omnino inutile et absurdum fore censeo, unumquodque diligenter perpendendo verbum, hos versus esse vere et mere stoicos ostendere. Cui aptius quam stoico sapienti hoc verbum *propositi* conveniat, quod vitam significat non temere, ut fit, vagantem, sed rationi mirifice consentaneam? Verba *mente solida* et *impavidum* virtutem indicant proprie stoicam, quam fortitudinem nominamus, et ex qua, veluti ex fonte, cæteræ omnes virtutes manant et defluunt. Quid dicam de his verbis *vagus Hercules?* Quem heroa cum sibi stoici ad imitandum proponerent, eum Horatius commemorando satis superque monstravit quorum potissimum institerit vestigiis.

Non satis habet has stoicorum sententias verbis explicare, quæ sunt quidem vulgi opinionibus sublimiores, sed quæ omnium judicio non omnino repugnant; ea quoque occupat placita, quæ a communi hominum

[1] Hor. l. III, *Od.* 3, v. 1.

sensu abhorrent longius et quæ ideo paradoxorum designantur nomine, eaque nunc defendit, nunc insectatur.

Stoicis placuerat omnia peccata esse paria; nam, ut ait Tullius, « gubernator æque peccat, si paleæ navem everterit, et si auri. » Hanc sententiam, in pulcherrima epistola, videtur sequi Horatius; nam servum ipse sic alloquitur:

> . . . . De mille fabæ modiis quum subripis unum,
> Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto [1].

Alias autem poeta, ut qui nihil pensi habeat utrum secum convenientia proferat necne, stoicos ridendo tangit et castigat dicens non æque esse peccatum, si quis in alienum minxerit lectum potus, ac si quis sponsum negaverit; nec qui teneros cujusquam in horto fregerit caules, ei esse conferendum qui e templo sacra deorum abstulerit [2].

Præterea, aliud paradoxum in medium protulerant stoici, quod multis quidem insolitum, mihi vero tritum quoddam esse videtur (nam persuasum habeo in verbi controversia rem versari), omnes scilicet insanire homines. Quod cum dicunt, quid tum agunt, nisi affirmant, quicunque perfectus non sit, eum esse imperfectum oportere? Quam sententiam commode arripit Horatius, quod jam antea Varro fecisse creditur, et omnia hominum vitia, vicissim descripta, facete carpit et ludit. Ut omnia ab eo lepide dicta non referam, quia

[1] Hor. l. I, *Ep.* 16, v. 55.
[2] *Idem*, l. I, *Sat.* 3, v. 115.

vix stoica viderentur, ita quædam referam tamen, quippe quæ ad illustrandam sententiam vere stoicam emissa fuerint. Inducit secum loquentem Damasippum, quem, fortunis omnibus deturbatum, Stertinius solatus jussit pascere barbam, magnum sapientiæ signum. Qui, a colloquii initio, hoc, de quo agitur, effatum profert et statuit:

> Quem mala stultitia, et quæcunque inscitia veri
> Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
> Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula reges,
> Excepto sapiente tenet [1].

Tum avarum, honorum cupidum, prodigum, amatorem, aliosque homines vitiosos recenset, et nunc jocosis, nunc asperis verbis perstringit. Avarum autem in primis verbis lacessit, eumque, quum multis argumentis, tum maxime acutis his similitudinibus delirare confirmat. Cithararum emptor, quibus non utitur, prudentis cujusque risum movet; scalprarum et formarum accumulator, si modo sit sutrinæ ignarus, amens undique merito dicitur:

> Qui discrepat istis,
> Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
> Compositis, metuensque velut contingere sacrum [2]?

Operæ pretium est videre quid senserit noster poeta de illo paradoxo apud stoicos tam celebrato, sapientem videlicet solum esse regem. Homines inopes et aliquando pannosos qui sceptrum et diadema sibi vindi-

[1] Hor. l. II, *Sat.* 3, v. 38.
[2] *Idem*, v. 108.

cabant mordaci aceto perfundit Horatius et multo sale defricat. Egregium videlicet regem, cujus pueri barbam vellunt, et quem, dum quadrante it lavatum, nullus stipator præter Crispinum sectatur[1]!

Lepidissima sane et ad aures vulgi, quod non satis osus est Horatius, aptissima! Sed quid sibi vult Flaccus idem, quum alibi dicendo enuntiat prioribus omnino contraria, et in carminibus exclamat latius regnari avidum spiritum domando quam si duplex Africæ Hispaniæque teneatur imperium, ac Phraatis a vertice diadema ablatum sapientis capiti imposuisse gaudet[2]?

Frustra mecum reputo poetas plerosque ita a natura esse constitutos, ut inconsulto cuique animi motui statim pareant, nec horam durent rem eamdem probantes, vix possum indignatiunculam temperare, Horatiumque nugatorem non appellare, cum illum video sic secum discrepantem. Huic autem et Fontanio nostro, qui interdum in eadem re delinquit, nescio quomodo, postquam paulisper succensui, novissime ignosco. Uterque adeo abundat omni sermonis gratia et lepore, et tam blande ludit circum præcordia, ut venustate judicem etiam invitum placare et mitigare soleat. Hoc tantum velim, ut philosophis, quanquam mediocriter elegantibus, daretur venia, si forsan inter se pugnaverint, cum poetis sibimetipsis pugnantibus facile venia detur.

Horatio alteram jurgii causam inferre animus me

[1] Hor. l. I, *Sat.* 3, v. 133.
[2] *Idem*, l. II, *Od.* 2, v. 9.

subigit, et pro misero illo rege, ab eo nimis, ut opinor, vexato propugnare, præsertim socium habentem mihi omnino impari, tempore et loco, adfuturum. Nasutus noster poeta rideat, si placet, barbam, fustem, inopiamque stoicorum quorumdam, qui Antisthenem magis quam Zenonem vita et moribus referebant. Esto. Mihi tamen dicere liceat unamquamque philosophiam aut religionem quædam vulgo extollere in majus, quæ in mores sensim influunt et singularem aliquando pariunt agendi rationem, sed quæ adeo nihil de scitorum ac præceptorum sublimitate detrahunt, ut contra iis sint mirifice apta et connexa.

Præterea, Horatius non mihi recte vidisse videtur qua in re posita sit vera hominis magnitudo et præstantia, et imperitorum opinionem potius quam sapientium rationem in eo secutum fuisse. Omittamus regium nomen, utpote quibusdam odiosum, et hominem solummodo quæramus quem cæteris hominibus jure possimus existimare superiorem. Quis phaleras dedignari, et rebus personam demere easque introspicere solitus, virum prudentia, justitia, fortitudine, omnibus denique ingenii et animi virtutibus ornatum et amplificatum non anteponat, etiam fortunis carentem, ei homini, quem, mentis et consilii inopem, contemptissimis cupiditatibus servientem, casus quilibet ad summum imperium extulerit? In hoc enim ficta et affabricata, in illo vera et a natura profecta excellentia est.

Regem illum, quem stoici prædicant, Horatius sane lectoribus argute præbuit deridendum; sed, si quis hos principes, quos poeta cum vulgo miratur et suspi-

cit, ludere vellet, nescio an latiorem haberet campum, in quo ingenium posset exsultare. Quod mihi venit in mentem, illustrissimum inter nostros scriptores, Pascalium pervolventi, et eum operis locum relegenti, ubi regum satellites, imitatione nimia et ad movendos legentium risus apta, depingit, facie rubicunda et armis minacibus incedentes, populumque facit, sacra imbutum formidine, stupentem[1]. Eadem prope dissimilibus verbis expressit auctor non sordidus, qui nuper vixit: «Infantem, inquit, vidi vagientem et salivantem, senesque dominum eum appellantes[2].»

Alio in loco Pascalius, amoto ludo, contendit homini doctissimo et optimo suum esse regnum, idque omni terrestri regno præstantius et quod nulla unquam vulgaris cujuslibet imperii adæquabit majestas[3]. Itaque ad Christinam, Suecorum reginam, cum scriberet, eam non secus ac par parem allocutus est, ut qui non minus quam ea acumine valeret, et eam multo majo-

[1] «Ces trognes armées qui n'ont de mains et de force que pour eux, les trompettes et les tambours qui marchent au devant, et ces légions qui les environnent font trembler les plus fermes. Il faudrait avoir une raison bien épurée pour regarder comme un autre homme le Grand Seigneur environné, dans son superbe sérail, de quarante mille Janissaires.» (Pascal. *Pens.* Édit. Havet, p. 35.)

[2] Lamennais.

[3] «Il y a dans ce monde deux sortes de grandeurs; car il y a des grandeurs d'établissement et des grandeurs naturelles.» (Pascal, p. LIV.)

«Tout l'éclat des grandeurs n'a point de lustre pour les gens qui sont dans les recherches de l'esprit. La grandeur des gens d'esprit est invisible aux rois, aux riches, aux capitaines, à tous ces grands de chair.» (*Id.*, p. 224)

ribus extulit laudibus quod ingeniorum quam quod corporum obtinuisset principatum.

Igitur, non modo hæc stoicorum opinio non insana habenda est, sed vix mens vere sana et omnibus inconsideratis vulgi opinionibus soluta reperiretur, quæ in eam, re paululum ponderata et excussa, non concederet. Ex quo vel solo liquet Horatium, hanc carpendo sententiam, quid in ea pulchri, ideoque ad carmina accommodati, inesset, nullo modo intellexisse.

CAPUT XV.

DE JUVENALE STOICORUM DISCIPULO.

Si quis Juvenalem remisse et quasi oscitanter legerit, ei nihil forsitan ab hoc poeta, non modo stoice, sed ne philosophice quidem dictum esse videbitur. Nam raro a communi hominum sensu et a vulgari dicendi ratione noster hic satirarum scriptor abhorret, nec abditis et remotis e fontibus haurit res ac verba quæ per audaces devolvit versus; sed e medio desumpta in medium profert. Quin etiam, eum habemus confitentem se a philosophia fuisse alienissimum; quippe qui neque epicureorum, neque cynicorum, neque stoicorum *dogmata, a cynicis tunica distantia,* attigerit[1].

Eum tamen non omnino latuisse crediderim præclara illa decreta et præcepta, quæ jamdudum percrebuerant apud Romanos atque in sermone et ore om-

[1] *Sat.* XIII, v. 120.

nium esse cœperant. Incidunt enim tempora, quum philosophia, non secus ac lumen, etiam aversis lucet. Itaque alibi hic poeta, philosophiæ iniquus, contendit homines, philosophia duce, multos devitare errores, multa exuere vitia; et magni vult esse momenti præcepta sapientiæ, quam Fortunæ victricem appellat[1].

Inde fit quoque ut, quamquam parum studiosus chartarum socraticarum, Socratis tamen celeberrimum præceptum suis illustret commentariis, et quasi divino afflatus spiritu exclamet:

> . . . . . E cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν,
> Figendum et memori tractandum pectore[2].

Esto, dicet fortasse aliquis, philosophatus fuerit Juvenalis, ut nos omnes philosophamur qui rerum philosophicarum non sumus plane rudes, et philosophorum interfuimus aliquando certaminibus; sed difficilem onerosamque mihi videris suscipere provinciam, si aliquid vere stoicum vis deprehendere in carminibus poetæ qui clare enucleateque tibi dixit, se stoicorum, ne summatim quidem, attigisse dogmata. Quin etiam, Juvenalis adeo non congruit cum stoicorum moribus et natura, ut pulcherrimos versus de misericordia condiderit, quem sensum stoici longissime abesse dicunt ab eo quem quærunt sapientem[3].

Adde, si placet, nostrum poetam non semel stoicos fuisse insectatum, quippe qui nunc refert stoicum

[1] Juv. *Sat.* XIII, v. 19.
[2] Juv. *Sat.* XI, v. 27.
[3] Juv. *Sat.*, XV, v. 131.

Egnatum discipulo Bareæ exitium attulisse; nunc homines fingendis virtutibus subdolos depingit, eosque dicit Chrysippi et Cleanthis, Porticus regum aut potius deorum, servare imagines.

Primum Juvenalis de hominibus non vere stoicis, sed stoicos mentientibus, hic loquitur, quippe quos indoctos ipse appellat:

> Indocti primum, quanquam plena omnia gypso
> Chrysippi invenias [1],

et qui se stoicos ideo simulabant, quia stoicorum tanta erat auctoritas, ut nomina stoici et boni idem sonarent. Deinde alias Zenonem, Porticus columen, profert ut qui optima de vita et officiis hominum præceperit:

> . . . . Melius nos
> Zenonis præcepta monent : nec enim omnia, quædam
> Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
> Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli [2]?

Cynicos etiam, stoicis parum dissimiles, exornat summis laudibus, quia certum cupiditatibus finem imposuerunt; nec video quomodo is jure duritatem Zenoni objiceret, qui Diogenis horriditatem extollit [3].

Hoc autem mihi non in animo est, ut manifestum faciam, quod nequaquam fieri potest, Juvenalem germanum fuisse stoicum; id tantum firmissimis argumentis vincere velim, egregium illum scriptorem, etiamsi

[1] Juv. *Sat.*, II, v. 14.
[2] Juv. *Sat.*, XV, v. 106.
[3] Juv. *Sat.*, XIV, v. 308.

non fuerit stoicus, a stoicis tamen multa eademque magnifica deprompsisse.

Nisi inter Romanos luxuria et mollitie diffluentes, nec quidquam habentes virile ac generosum, nobilissima illa jamdudum extitisset Zenonis disciplina, quæ debacchantibus hominum cupidinibus, velut conscientia generis humani, obsisteret, nec Juvenalis, nec quisquam alius poeta hunc excelsum servavisset animum, qui quanto studio virtutem, tanto odio vitium prosequitur, nec *fecisset indignatio versus.* Nequaquam tamen affirmaverim nostrum auctorem, cum censoris expleret vices, censoriis moribus vixisse, et nullo vitiorum quæ carpebat laboravisse. Hoc solum mihi concedi cupio, hunc eam turpitudinis notam vitiis Romanorum inurere non potuisse, quin eximiam quamdam in animo haberet virtutis speciem ad quam referret omnia fœda et infamia, quæ ante oculos obversabantur. Sic, apud recentiores, novissimo in sæculo, celeberrimus quo Geneva gloriatur philosophus, quamvis ipsius vita non injuria reprehenderetur, perversos æqualium suorum mores reprehendit, et eos ad rectam rationis regulam corrigere conatus est. Ut autem hic Platonis et Plutarchi, sic ille stoicorum doctrinis fuerat imbutus.

Utrum epicurei, aut hominis cujuslibet temporum vitia lente ferentis ac veniam dantis et petentis vicissim, an stoici, vel potius cynici hi sunt versus, qui, non modo sapientem illum liberum et erectum quem stoici instituunt, sed etiam Diogenem Atheniensium turbam perrumpentem nobis in memoriam revocant:

Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem; nec civis erat qui libera posset
Verba animi proferre, et vitam impendere vero [1].

Quis eum docuit omnia corporis mala præ animi malis esse parva, et omnes doloris morsus dedecore esse potiores? Quis, nisi stoica philosophia et stoicissans Marcus Tullius, cujus nobilia hæc sunt verba: « Detrahere igitur alteri aliquid, et hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera quæ possunt aut corpori accidere aut rebus externis [2]. » Hanc eamdem sententiam adeo luculentis et præclaris expressit versibus Juvenalis, ut nihil unquam, nec apud veteres, nec apud recentiores, mihi legisse videar sublimius:

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ si quando citabere testis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas [3].

Illustrissimus philosophus qui apud Germanos, novissimo finiente sæculo, nobilem Zenonis disciplinam, in eo quod ad mores attinet, restituit et amplificavit, Kantius hos duos ultimos versus in ore semper habuisse dicitur. Nec mirum; eximius ille stoicus hæc verba nescio quid stoicum redolere sentiebat.

[1] Juv. *Sat.*, IV, v. 29.
[2] Cic. *De Off.*, l. III, c. 5.
[3] Juv. *Sat.*, VIII, v. 78.

Cæterum affirmare non dubito hanc de nobilitate satiram, ex qua pulcherrimos hos versus excerpsi, totam esse stoicam et ex altissimis Porticus dogmatibus pendere, quæ, vana hominum opinione rectæ rationi posthabita, nullum præter virtutem statuit esse bonum, et nulla nisi animi bona vult esse per se expetenda. Hæc eadem Juvenalis :

> Tota licet veteres exornent undique ceræ
> Atria, nobilitas sola est atque unica virtus [1].
> . . . .
> Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
> Justitiæque tenax factis dictisque mereris ?
> Agnosco procerem [2].

Quin etiam, satira illa decima, quæ de votis inscribitur, et quæ omnium Juvenalis satirarum perfectissima et absolutissima habetur, ex locis communibus, iisque dissolutis, constare judicibus plerisque visa est ob id tantummodo, quod stoicorum quoddam decretum poetam sibi proposuisse explicandum non animadverterunt. Nec potentiam, nec gloriam, nec eloquentiam, nec pulchritudinem, nec longiorem vitam vera numerat inter bona, quia fieri potest ut possidenti male cedant. Virtus res est sola ad quam sine ullo metu et tanquam ad supremum finem tendere liceat; alia omnia commoda potius quam bona nominanda sunt. Hæc sententia, si qua unquam fuit, stoica dissipatas, prima specie, hujus satiræ partes colligat et

[1] « *Quis ergo generosus? ad virtutem bene a natura compositus.* » (Sen. *Ep.*, 44.)

[2] Juv. *Sat.*, VIII, v. 18.

unam ad formam reducit: itaque ut hinc orditur, ita huc terminat poeta satiram:

> Omnibus in terris, quæ sunt a Gadibus usque
> Auroram et Gangen, pauci dignoscere possunt
> Vera bona atque illis multum diversa, remota
> Erroris nebula [1].

Sic orsus, speciosa et jam omnibus nota expromit miracula, ingentemque Sejanum restem secutum et flammis crepantem, Annibalem veneno sublatum annulumque Cannarum vindicem, Alexandrum nuper angustis mundi limitibus æstuantem nunc sarcophago contentum; et ad eam, dum de morte disserit, assurgit loquendi divinitatem, quam solus Bossuetius noster est postea assecutus. Denique hæc subjicit, quæ utrum stoica, an christiana sim nominatarus nescio, adeo ejus orationis, quam dominicam appellant, sensum referunt:

> Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
> Permittes ipsis expendere numinibus, quid
> Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
> Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di.
> Carior est illis homo, quam sibi [2].

In iis quæ sequuntur videre est sine ullis integumentis magnos stoicorum animos. Indolentiam enim eam, quam ἀπαθείαν Græci vocant, exoptat poeta dolorisque simul et mortis contemptum; nec Herculis solitas omittit laudes; quibus ex omnibus constat eum

[1] Juv. *Sat.*, X, v. 1.
[2] Juv. *Sat.*, X, v. 346.

talia stoicis e fontibus hausisse. Quod tibi multo manifestius fiet, si, antequam Juvenalis versus referam, hæc tulliana eademque stoica verba ante oculos exposuero : «Magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœlestium collocavit, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus [1].» Lege nunc nostri auctoris versus:

> Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
> Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
> Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,
> Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
> Herculis ærumnas credat sævosque labores,
> Et venere, et cœnis, et pluma Sardanapali.
> Monstro quod ipse tibi possis dare [2].

Hoc extremum scriptoris esse omnino stoicissantis et a semetipso potius quam ab alio quolibet sua bona poscentis, quum ex multis, tum ex iis Senecæ dictis patet : «Facis rem optimam et tibi salutarem, si, ut scribis, perseveras ire ad bonam mentem : quam stultum est optare, cum possis a te impetrare [3].»

In decima tertia satira Juvenalis ea de conscientiæ stimulis loquitur, quæ, si non solum stoicum, at certe philosophum, eumque gravissimum, aptissime de-

[1] Cic. *De Off.*, l. III, c. 5.
[2] Juv. *Sat.*, X, v. 357.
[3] Sen. *Epist.* 41.

ceant[1]. Nec tantum ob facta, sed ob cogitata vexatos animi sollicitudinibus nocentes exhibet:

> Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
> Facti crimen habet[2].

In eadem satira egregios versus de vindicta et ultione reperias, quos stoicum aliquid habere confitendum est. Nam, cum primi homines qui coluerunt terras, in vindicta summum bonum et gloriam præclarissimam posuissent, philosophi quidam, e Socratis domo exorti (academicos dico ac præsertim stoicos) miseros mortales, ultionis persequentissimos, ab horrendis certaminibus avertere tentaverunt, atque eos docuerunt nihil viro sibi temperante et hostibus subjectis parcente esse nobilius. Hac de re audias volo Ciceronem, eumque Panætii stoici vestigiis insistentem: « Est enim, inquit, ulciscendi et puniendi modus; atque haud scio an satis sit eum, qui lacessierit, injuriæ suæ pœnitere; ut et ipse ne quid tale posthac, et cæteri sint ad injuriam tardiores[3]. » Idem eodem in libro: « Nec vero audiendi, qui graviter irascendum putabunt, idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabilitate atque clementia[4]. » Juvenalis contendit quoque minimos animos ultione maxime delectari, atque homines esse eosdem et indoctissimos et vindictæ promptissimos.

[1] Juv. *Sat.*, XIII, v. 192.
[2] Juv. *Sat.*, XIII, v. 209.
[3] Cic. *De Off.*, l. I, c. 11.
[4] Cic. *De Off.*, l. I, c. 25.

Quanto rectius Chrysippus, inquit, et Socrates ille qui acceptæ cicutæ partem *accusatori nollet dare!*

> Quippe minuti
> Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
> Ultio. Continuo sic collige, quod vindicta
> Nemo magis gaudet quam femina [1].

Quod si quis forte mihi dixerit hæc e platonico, non minus quam e stoico fonte manare potuisse, objectum non diluere, sed elevare enitar, memorando platonicos raros, ne dicam nullos, stoicos autem multos Romæ, Juvenalis tempore, floruisse; ideoque verisimilius nostrum poetam a stoicis quam a platonicis generosos hos sensus desumpsisse.

Satira quæ *de exemplo* inscribitur, quædam quoque continet, quæ utrum academica, an stoica sint, difficile est dijudicare, et quædam quæ mihi videntur omnino stoica. Prioris generis sunt delicatissimi et jam vulgatissimi versus quibus christiano prope modo ostendit poeta quanta teneræ ætati reverentia debeatur, et quam multas puerorum institutio habeat cautiones [2].

Quæ de servis eodem in loco scripsit vere et proprie stoica esse ideo affirmaverim, quod apud veteres nulla fuit, præter porticum, philosophorum familia, quæ homines misera servitute oppressos liberis hominibus dixerit pares, eosque excitare et erigere conata fuerit [3]. Jam alias nobilia Senecæ verba protulimus, quibus

[1] Juv. *Sat.*, III, v. 198.
[2] Juv. *Sat.*, XIV, v. 44.
[3] Janet, *Hist. de la philos. mor. et polit., passim.*; Denis, *Hist des théor. et des idées mor., passim.*

constat curæ præcipuæ stoicis servos fuisse. Non aliter Juvenalis loquitur; nisi quod primus versus parum et videtur et est stoicus:

Mitem animum, et mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animos servorum et corpora nostra
Materia constare putat paribusque elementis?
An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi Laris ac Polyphemus,
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti propter duo lintea ferro [1]?

CAPUT XVI.

DE PERSIO POETA STOICO.

Ex omnibus poetis qui litteras romanas jam senescentes nobilitaverunt, nullus Zenonis institutis et præceptis tam alte imbutus fuit quam Persius. Quem totum sibi vindicat præclara illa philosophorum familia quæ, omnibus ad servitutem ruentibus, antiquæ libertatis fortiter suscepit patrocinium, et sæculo pene universo in luxuriam fluente, puros atque integros mores servavit, atque alienis flagitiis maluit carere quam uti, eo admirabilior, quod nulla sive caduca, sive æterna ob præmia, sed unius studio virtutis, virtutem coluit. Ut igitur nobilis hæc familia inter suos numeravit et severos intra parietes aluit Thrasceam senatorum, Antoninum principum, Epictetum servorum specimen, et Tacitum sortita est egregie factorum dictorumque

[1] Juv. *Sat.*, XIV, v. 15.

scriptorem, sic Persium habuit poetam, exili sane et obscuro, sed acri et presso dicendi genere insignem, nec qui locum inter tantos viros obtineret, quum vita, tum scriptis, omnino indignum. Cum Thrasea, illo omnium exemplari virtutum, affinitate conjunctus, a Cornuto, viro bono et sapiente (si quis unquam fuit), educatus Persius noster nec affinis dedecoravit auctoritatem nec magistri.

Ipse sui ipsius veram ac genuinam (inscius, credo, et invitus) adumbravit imaginem, magistro eidemque amico illam scribendo satiram, tantæ gloriæ utrique futuram, in qua ingenuum ac candidum explicavit animum atque intimos sensus penitus excussit. Poetæ dicendi genus plerumque paulo severius et durius mitescere et mollescere videtur, dum ille testatur singularem suum erga Cornutum amorem, dum narrat quantum ei debuerit, quam familiariter eo fuerit usus, et quam feliciter, toti dediti sapientiæ studio, una vixerint. Quæ legendo Cornutum dicas sacerdotem homines ad summam et perfectam virtutem dirigentem; Persium autem juvenem ejus consiliis jam sapientissimum et sanctissimum effectum. Hic illius beneficiorum mirum in modum se præstat memorem, et quanta sit suæ pars animæ palam testatur:

Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum [1].

[1] Pers. *Sat.*, V, v. 36.

Hic agnoscitur vetus illud et præclarum stoicorum decretum, hominis vitam opus artis existimantium, quod ad optimam generis formam sit referendum.

Tum Persius exponit quanta amicitia cum Cornuto fuerit devinctus, et quam conjuncte inter se egerint, sicut homines decet, mea quidem sententia, de officiis, de vita, de Deo colloqui atque his sermonibus innutriri solitos, ita ut eorum animi miro quodam modo consentiant et quasi coalescant. Quod animadvertimus in Phædone Platonis, ubi Socrates ejusque discipuli uno eodemque spiritu moveri videntur.

Sic eruditus et institutus Persius non paucis eminebat ingenii dotibus, quæ scriptori de moribus disserenti ideoque poetæ satirico conveniunt, et sine quibus nullus auctor, qui in his versatur argumentis, rebus quas tractat par esse potest.

Primum oderat vulgus, ejusque vanas opiniones auribus respuebat, ut e pluribus patet ejus satirarum locis:

> . . . . Non si quid turbida Roma
> Elevet, accedas: examenve improbum in ista
> Castiges trutina; nec te quæsiveris extra [1].

et alibi:

> . . . . Usque adeone
> Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter [2]?

Non solum communibus hominum opinionibus diffidit Persius, quod quum omnibus prope philosophis,

[1] Pers. *Sat.*, I, v. 5.
[2] *Idem*, v. 26.

tum maxime stoicis, initium habetur sapientiæ; sed quis sit verus vitæ finis, sola ratione duce, exquirit; et anus stolidas atque hircosos centuriones, qui omnium omnino ignari, in uncta patella summum ponunt bonum, maledictis lacessit et persequitur. Hæc pessima ei videtur istorum hominum vita, qui, nulla adhibita animo cura, ventri obedire, pecudum ritu, et omnibus corporis cupidinibus servire solent[1]. Nihil contra præstantius ducit et divinius quam eam, quam cum Deo communem habemus, rationem colere, et virtutem, quæ hominis propria est, quoad fieri possit, assequi. Itaque hoc vivendi genus, quod Cartesius noster tantis olim extollet laudibus, Romanus quoque poeta celebrat, dum Cornutum suum sic alloquitur:

> At te nocturnis juvat impallescere chartis.
> Cultor enim juvenum purgatas inseris aures
> Fruge Cleanthea. Petite hinc, juvenesque, senesque,
> Finem animo certum, miserisque viatica canis[2].

In his fortasse immoror diutius et minutiora consector; sed non parvi, me judice, interest, utrum satirarum auctor, de moribus scripturus, totius vitæ cursum et finem cogitatione comprehenderit necne. Id enim nisi fecerit, cum nunc hoc, nunc illud vitium temere et inconsiderate, nec eam ob causam quod a certa aberret regula, fuerit insectatus, poterit evenire ut quæ acute et lepide dixerit, inter se parum conveniant et alia aliis discrepent, quod vel solum eos graviter offen-

[1] Pers. *Sat.* V, v. 58.
[2] Pers. *Sat.*, V, v. 62.

det qui a poeta ut totum ponere sciat ante omnia exposcunt.

Fine, ad quem omnes homines spectare et niti debeant, semel decreto et constituto, Persius quærit quo reipsa plerique tendant, et eos acriter tangit qui a recta declinant via. Cum nostrum unumquemque convenienter naturæ et rationi vivere oporteat, quid de iis scriptoribus existimandum est, qui rationi et naturæ contraria semper aucupari videntur? Cum natura et ratio nobis suadeant, vel potius imperent, ut justitia et sanctitate placatos efficiamus deos, quid de iis censebimus qui deos sanguine et extis vitularum volunt quodammodo corrumpere? Natura et ratione juveni præcipientibus ut e schola quàm sapientissimus evadat, et sibi, parentibus, patriæ, quam maximo sit emolumento, quid de eo sperare possumus qui vitam agit somno et gulæ deditus, atque in turpi stupet inertia? Ita Persius, seu de litteris colendis, seu de honorandis numinibus, seu de pueris instituendis disserere cœperit, semper summa quædam decreta et instituta ponere solet, unde, veluti quibusdam e fontibus, cætera quælibet oriuntur.

Non alia usus est disputandi ratione, cum de publicis rebus scripsit noster poeta: quippe qui probe intellexisset eumdem hominum societati, qui singulis hominibus est, assignari finem, et iisdem virtutibus, quibus perfectus efficitur civis, perfectam effici civitatem. Itaque hominis cujusque finem nescienti de civilis communitatis fine silendum est. Idem sentiebat, apud veteres, Plato, qui, in *Gorgia* Socratem inducit

dicentem Themistoclem et Periclem tota aberrasse via, quibus majori curæ mœnia quam virtutes Atheniensium fuerint, et qui alio in loco celeberrimum illud edere ausus est effatum, populos videlicet ita solum fore beatos, si philosophis regnum, aut si regibus philosophia esset obventura. Persius autem mira quadam, ut solet, dicendi concitatione et vividis imaginibus illam liberrimam eamdemque verissimam expressit sententiam. Ab Alcibiade adhuc adolescente apud nostrum Socrates petit cur et quo fretus res populi tractare velit:

> Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
> Ante pilos venit; dicenda tacendaque calles?
> Ergo, ubi commota fervet plebecula bile,
> Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
> Majestate manus. Quid deinde loquere? Quirites,
> Hoc, puto, non justum est; illud male; rectius istud [1].

Ut de justo et injusto judicare, pravam multitudinis opinionem corrigere, de civium vita statuere audeat et *nigrum vitio præfigere theta*, quid est quod antea didicerit? Nihil omnino. Quamobrem philosophus juvenem nominat insanum, eumque inani superbia tumere sinit:

> Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
> Quum bene discincto cantaverit ocima vernæ [2].

Nunquam, credo, poeta quisquam de moribus, de jure, de populis sapientissimo cuique regendis, liberius et generosius locutus est. Sæpissime accidit, recentio-

[1] Pers. *Sat.*, IV, v. 4.
[2] Pers. *Sat.*, IV, v. 21.

ribus temporibus, ut res publicas tractarent homines tanto muneri impares, omnis humanitatis expertes, moribusque dissolutissimi. Quam pauci tamen poetæ christiani eos versibus carpsere! Plerumque nostri poetæ satis habuerunt vanis cantilenis distringere potentes, nec quidquam serium, virile, forte adversus eos scripserunt. Dum Arverni a principibus crudelissime vexarentur et, nullam ob rem, sævissimis afficerentur suppliciis[1], Bolæus noster, vir alioqui liber et bonus, suæ ætatis poetarum versus placide notabat, si quis offendisset aures teretes et religiosas; et cui verborum, vel paululum discors, sonus movebat bilem, is omnia humana divinaque jura misceri lente ferebat.

Persium vero non fugit libertatem a prætore datam ex intima animi libertate pendere, et neminem vere liberum, vere civem fore, qui suis cupiditatibus erit obnoxius. Quam ad sententiam, mere stoicam, verbis exprimendam, non leni, æquabili et inornato orationis tractu, philosophorum more, utitur, quod ei aliquando objectum est; sed potius dicendi genus vividis distinctum coloribus, vehementibus incitatum motibus consectatur. Itaque non video quid in eo desideres e tribus quæ Fenelo requirit ab eo qui sit egregie dicturus, ut homines doceat et moveat rerumque speciem quasi quadam depingat tabella[2]:

> Libertate opus est: non hac, quam ut quisque Velina
> Publius emeruit, scabiosum tesserula far . .

[1] *Les Grands jours*, par Fléchier.
[2] Fénelon. *Dialogues sur l'éloquence*, 2e *dialogue*.

Possidet. Heu! Steriles veri; quibus una Quirites
Vertigo facit! Hic Dama est, non tressis agaso,
Vappa, et lippus, et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus; momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos! Marco sub judice palles [1]!

Quis ignorat pulcherrimos versus, quibus noster eximie descripsit cupidines certatim distrahentes et prementes animum, qui ea tantum lege liber esse potest, ut cupidinibus sit vacuus et soli serviat rationi? Nam servire Deo, inquit Seneca, id est rationi, ea libertas est. Mane stertis piger: Eia, surge, inquit Avaritia! et tibi recusanti omnia recenset, quibus venditis, dives evadere tibi detur. Quin etiam subjicit:

Verte aliquid, jura. Sed Jupiter audiet. Eheu!
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis [2].

Tum Luxuria inducitur, quæ Avaritiæ repugnet et hominem jam surrecturum sensim reclinet lectulo. Si ejus argumenta consideraveris, nihil plenius et astrictius; si imagines et sensus, nihil acrius et vividius reperies. Res non calamo descriptas, sed penicillo depictas existimes:

Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto,
Cœna sit in transtro; Vejentanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?
. . . .

[1] Pers. *Sat.*, V, v. 73.
[2] *Idem*, V, v. 137.

> Indulge genio; carpamns dulcia; nostrum est
> Quod vivis; cinis, et manes, et fabula fies.
> Vive memor lethi; fugit hora; hoc quod loquor inde est [1].

Bolæus hunc locum imitatus est; sed quam longe ab exemplari latino abfuerit, quemquam fugisse satis mirari nequeo. Quod de nostra gente (injuria, ut opinor) Fenelo contendit, eam videlicet rebus cogitatione arcte comprehendendis omnino esse imparem, id de Bolæo, tanti viri salva reverentia, libenter dixerim. Clarus hic poeta, cum de libertate dissereret, non rem intimam, quod fecit Persius, pertentavit, sed satis habuit argumentum summum jocando percurrisse. Quid quod, apud Gallicum scriptorem, Avaritia, cui hominem ad proficiscendum impellere sententia est, argumenta affert (miserum victum dico et hæredis curam) ad eum ab itinere ineundo avocandum multo magis idonea? Hic auctorem, non personam loqui nimis manifestum est. Quid quod Ambitionem in Luxuriæ locum sufficit, quæ multo inferiores agit partes, quia inter eam et Avaritiam nullum certamen exoritur, et quia intra altum se tenet silentium? Quid quod ex iis omnibus quæ dixit sic egregie colligit Persius:

> En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
> Hunccine an hunc sequeris? Subeas alternus oportet
> Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.

Me non latet Romani poetæ dicendi genus interdum, ne dicam sæpe, esse obscurum, spinosum, durum, et e stoicorum disciplina hæc vitia, velut e fonte, forsitan

[1] Pers. *Sat.*, v. 146.

fluxisse; sed vitia ejusmodi, quanquam gravia, magnis arbitror pensari virtutibus, quarum aliquas e Zenonis schola esse quoque derivatas nemo negaverit. Primum ab ea hæc desumpsit decreta et præcepta, quibus, veluti quibusdam vinculis, omnes satirarum sententias dissolutas et dissipatas colligavit et in unum redegit. Et ne quis dicat Persium satis habuisse magistrorum dictata ediscere, et ea, qualia accepisset, suis commendare versibus, secum reputet quot et quantis imaginibus exornaverit, quot et quantis animi motibus quasi concitaverit quas in medium protulit cogitationes; tunc in hoc tanquam insignitas ejus ingenii apparere notas dicet et sentiet. Præterea, secretum ignem, qui sub orationis contextu plerumque latet et aliquando erumpit, unde illum, nisi e Porticu flagranter amata, putabimus accensum? Persius igitur stoicis non parum debuit, si illis has duas debuit orationis virtutes, quarum altera opus quodcunque unam reducit ad formam, altera vero ei quasi quemdam igneum infundit spiritum quo vivere et spirare videatur.

Non immerito, me quidem judice, Persium Quintilianus et Bolæus noster laudaverunt, quorum prior dixit: « Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit, » posterior autem se poetæ nostri perstudiosum fuisse testatus est, ejusque versus, obscuros quidem, sed adstrictos, vehementes, et verborum numerum sententiarum numero consequentes prædicavit. Si quis enim reconditæ stoicorum disciplinæ idemque latini sermonis amantissimus, persianorum carminum latebras fuerit scrutatus, ibi eum

credo multa præclara inventurum, quæ in operibus quibusdam pleniori luce splendentibus frustra requirat, et quæ decies repetita decies ei placebunt.

CAPUT XVII.

DE MANILIO POETA STOICO.

Quum nobis esset in animo, uno eodemque orationis tractu exponere quid satirarum scriptores sibi quisque e stoicorum dogmatibus assumpsissent, nec medium intercipere quem ea de re haberemus sermonem, alios paulisper omisimus poetas, de quibus nunc est disserendum, a Manilio initio facto, qui, Augusto imperante, floruisse creditur. Ejus opus, utpote de astronomicis scriptum, huic litterarum generi adscribendum est, quod est ad docendum maxime accommodatum, et quod ideo nostri διδακτικὸν græco nomine appellaverunt, quo genere nullum, me quidem judice, ad explananda stoicorum placita unquam fuit aptius. Si quis enim, doctrina et ingenio non impar Lucretio, totam hanc disciplinam carminibus amplexus fuisset, et docentis modo explicuisset, præclarius etiam, ut jam supra diximus, quam illustris ille Epicuri interpres, poema composuisset, uberiorem scilicet nactus materiam. Quin etiam, universum hoc opus non paucis potuisset exornare extra argumentum positis, dum multa prudenter et fortiter, juste et temperate facta versibus retulisset, quæ omni pulchritudine honesti, qualem eam stoici mente comprehenderunt, effulsissent.

Ut Manilius non erat ingenio cum Lucretio comparandus, ita rem tantam non sibi proposuerat. Non enim omnia quæ ad rerum naturam et ad hominum societatem spectant, stoicorum more, tractavit, nec immensum quoddam opus, omnibus partibus apte inter se connexis, ædificavit; sed singularem quamdam sibi sumpsit scientiam, qua, velut materia, ad poema condendum, uteretur, et stoicam philosophiam tantum obiter attigit, ita ut quod argumentum totius operis fuisse velim, id potissimum sit extra opus positum, et in eis, quas *ecbaseis* vocant, conclusum. Vere autem mihi videor esse dicturus, si affirmavero, et proœmia uniuscujusque libri, et has ecbaseis, in quibus stoicissat Manilius, omnibus aliis quæ scripsit esse præstantiora. Cujus rei locupletem habeo testem hominem doctissimum et fere doctorum principem, Jos. Scaligerum: « Imprimis, inquit, omnia ejus proœmia et *παρεκβάσεις* extra omnem aleam posita sunt. Nihil illis divinius, nihil copiosius, gravius et jucundius dici potest. » Sed præstat, ut idem dixit scriptor, ex ipso potius, quam ex nostra prædicatione hoc discere. Audiamus igitur olorem canentem:

Carmine divinas artes, et conscia fati
Sidera diversos hominum variantia casus,
Cœlestis rationis opus, deducere mundo
Aggredior, primusque novis Helicona movere
Cantibus, et viridi nutantes vertice silvas,
Hospita sacra ferens, nulli memorata priorum [1].

[1] Man. *Astr.*, l. 1, v. 1.

Hæc verba, *conscia fati sidera, cœlestis rationis opus, mundo* pro cœlo dictum, satis declarant nostrum poetam stoicas versibus enuntiare sententias.

Cæterum poetæ altissimum placet hoc argumentum:

. . . . Juvat ire per ipsum
Aera, et immenso spatiantem vivere cœlo [1].

Quod quamvis sit arduum et aditu difficiles habeat latebras, hominis tamen rationi est permeabile:

. . . . Cui nulla resistunt
Claustra, nec immensæ moles, cæcique recessus;
Omnia succumbunt, ipsum est penetrabile cœlum [2].

Nec mirum, cum (id quod plane stoicum est) mens nostra divinæ menti cognata sit, et ex ea quasi delibata:

Jam nusquam natura latet: pervidimus omnem,
Et capto potimur mundo, nostrumque parentem
Pars sua conspicimus, genitique accedimus astris [3].

Quo accessu et conspectu nihil excogitari potest sublimius et sapiente dignius. Mens autem nostra, angustis antea terminis septa, hoc ut assequatur fastigium, suum *pectus transire* debet,

Extremumque sequi pontum, terræque subire
Pendentis tractus, et toto vivere in orbe [4].
. . . .
Impendendus homo est, Deus esse ut possit in ipso [5].

[1] Man. *Astr.*, l. I, c. 13.
[2] *Idem*, l. I, v. 538.
[3] *Idem*, l. IV, v. 881.
[4] *Idem*, l. IV, 879.
[5] *Idem*, l. IV, v. 407.

Quis est cui, talia legenti, statim non obversetur ante oculos mirus ille consensus rerum, quæ ita una et eadem vi constrictæ tenentur, ut, eam ob causam, earum unaquæque non modo existat et perstet, sed etiam alias, si ipsius natura tulerit, sentiat et cognoscat.

Eadem in primo operis libro explicat Manilius, eisque nititur, ut argumenta, quæ pro Sorte ac contra Deum allata sunt, confutet et diluat :

> Nec quidquam in tanta magis est mirabile mole
> Quam ratio, et certis quod legibus omnia parent.
> Nusquam turba nocet, nihil ullis partibus errat
> Laxius aut brevius, mutatove ordine fertur.
> Quid tam confusum specie, quid tam vice certum est?
> Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,
> Qua pateat mundum divino numine verti,
> Atque ipsum esse Deum, nec Forte coisse magistra,
> Ut voluit credi, qui primus mœnia mundi
> Seminibus struxit minimis, inque illa resolvit [1].

Non solum de cœlestibus et divinis, sed etiam de terrenis et mortalibus rebus, quemadmodum præclarissime, sic verissime sensit Manilius, ut qui, stoicis ducibus, de trita deflexerit via. Quid est quod magis, non modo imperitorum, sed prope doctorum, apud veteres, risum moverit quam quæ de antipodibus stoici dixerant: esse videlicet homines, quorum vestigia vestigiis nostris essent adversa, et qui in inferiorem cœli partem præcipites non caderent? Lucretius hos ducit stolidos quos istius modi incessit opinio [2]. Non melius cum his phi-

[1] Man. *Astr*, l. I, v. 485.
[2] Lucr. *De nat. rer.*, l. I, v. 1060.

losophis a Lactantio agitur qui, eos, sive erroris sive mendacii accusatos, facete irridet: « Quid illi, inquit, qui esse contrarios vestigiis nostris antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora quam capita? aut ibi, quæ apud nos jacent, inversa pendere? fruges et arbores deorsum versus crescere? pluvias, et nives, et grandines sursum versus cadere in terram [1]? »

Has poeta noster ineptias versibus credere, et duas diversas terras vicissim sole illustratas describere non dubitavit :

> Hanc ubi ab occasu nostro sol aspicit ortus,
> Illic alma dies sopitas excitat urbes,
> Et cum luce refert operum vadimonia terris.
> . . . .
> Pontus utrasque suis disjungit et adligat undis [2].

Ex his omnibus Manilianis versibus et ex aliis quos plurimos, cum de stoicorum physiologia ageretur, et protulimus et laudavimus, satis superque liquet quot et quanta illustris hic poeta a stoicis mutuatus fuerit. Itaque libenter affirmaverim Zenonis discipulos a Manilio numeratos fuisse inter eos animos quibus se ipsa reclusit natura,

> Regales animos primum dignata movere,
> Proxima tangentes rerum fastigia cœlo [3].

[1] *Instit.*, l. III, c. 24.
[2] Man. *Astr.*, l. I, v. 236.
[3] *Idem*, l. I, v. 41.

CAPUT XVIII.

DE SENECA STOICORUM DISCIPULO.

Hæresis stoicorum, non solum poemata quæ ad docendos, sed etiam quæ ad delectandos homines spectant, præceptorum impressit vestigiis; quippe quæ et in fabulis ad scenam compositis et in heroicis carminibus æque apparent. Sed tanti non est utriusque generis poetas singulos dicendo persequi, et omnes versiculos Porticum redolentes, analectarum modo, colligere ac conferre in unum. Itaque, pauca de Publio Syro locutus, in Seneca et Lucano, quatenus stoicissaverunt, examinandis et æstimandis, curam omnem impendere volo.

Versibus, qui vulgo P. Syro assignantur, multæ subjectæ sunt sententiæ, quæ ex hominum vita et communi quodam ex usu desumptæ videntur, et quas insignitis quibusdam verbis solum distinxit poeta. Has tamen credo ad stoicorum dogmata et instituta similitudine propius accedere:

Est turba semper argumentum pessimi.
Nondum felix es, si nondum turba te deriserit.
Nisi per te sapias, frustra sapientem audias.

Quibus in versibus licet agnoscere signatas philosophorum notas, qui semper vulgus lacessivere et quasi in certamen irritavere, nedum illius auctoritati se turpiter subjicerent. Seneca enim hoc, ante omnia, Lu-

cilio suo præcipit, ut sui juris sit, nec aliena moveatur sub umbra, eumque vult non modo turbam vitare, sed etiam homines clarissimos recusare duces et manum tendentes repellere. Inde insignia hæc verba : «Hoc Zeno dixit! Tu quid? Hoc Cleanthes! Tu quid?... Aliquid intersit inter te et librum [1]! »

Illa de logicis. Quod ad physica attinet atque ad universarum regimen rerum, hunc versum, quem mirabatur Leibnitzius libenter protulerim :

Cuivis potest accidere quod cuiquam potest,

et alios quibus inscrutabilis illa et ineluctabilis vis Fati egregie exprimitur :

Necessitatem ferre, non flere addecet.
Necessitati sapiens nihil unquam negat.

De moribus supersunt multo plura, inter quæ hoc dictum animadverti, veteri quidem proverbio parum consentaneum, sed, meo judicio, indubitandum :

Arcum intensio frangit, animum remissio.

Hanc sententiam esse verissimam mecum fatebitur quisquis secum reputaverit senes eo longius in vitæ curriculo progredi, quo acrius in rebus gerendis versantur; nam, ut vulgaris hic ignis, quem oculis videmus, sic ignea vis animi, quæ omnes nostros sensus latet, eundo crescere solet et clarescere. Si autem dubites tale hoc effatum cum stoicorum placitis aliquid

[1] *Epist.* 33.

habere commune, memineris stoicos summam animi virtutem actione terminare solitos, et ea contentione, quam *ἐπίστασιν* nominabant. Cæterum Plutarchus, de stoicis dum loquitur, eis hanc sententiam propriis verbis adscribit : *τόξον μεν γὰρ (ὧς φασιν) ἐπιτεινόμενον, ῥήγνυται, ψυχὴ δέ ἀνιεμένη.*

Quæ stoici sæpissime dixere de cæcis animi cupidinibus, eas videlicet rationi repugnare, hominemque a recta deducere via, eadem in his quoque P. Syri versibus deprehendas :

> Amare et sapere vix Deo conceditur.
> Adulter est uxoris amator acrior.
> Omnis voluptas, quemcumque arrisit, nocet.

Nunquam Zeno planius ac melius in schola quam Publius in theatro homines docuit honestum, etiamsi non laudetur, esse tamen laudabile. Hæc enim mimographus noster ad caveam emittebat :

> Conscientiæ potius quam famæ attenderis.
> Quid ipse sis, non quid habearis, interest.
> Quam magnum est non laudari, esse laudabilem !

et multa alia, quæ Senecæ cothurno, magis quam Syri socco, fuissent digna.

Cum hinc Annæus Seneca, ut qui exaggeratum et tumidum dicendi genus, sicut plerique ejusdem ætatis scriptores, consectaretur, omnia sive ad mores sive ad naturam spectantia verbis in majus extulerit, illinc stoici se hominem supra humana erigere posse professi fuerint, jam multos hæc pervasit opinio stoicorum disciplinam in Senecæ carminibus occupare præcipuam

sedem, et ex ea pleraque fabularum ejus vitia effluxisse. Inde hæc celebrata ac trita ejus interpretum verba, quasi cothurnatam in eo dominari philosophiam, et personas fere omnes, quas inducit in scenam, stoicorum partes agere. Quæ, ut non omnino falsa, sic non omnino vera esse existimo. Fateor equidem nullam prope apud Senecam esse personam, quæ sententias ex intima Zenonis disciplina depromptas verbis aliquando non proferat; sed paucissimas quoque apud eumdem pro certo habeo esse personas, quæ ad stoicorum sese effingant præcepta, eorumque sapientem vel paululum moribus referant. Quin etiam acta, non dicta, consideranti, quod in opere ad agendum composito haud inepte fieri potest, nihil veris stoicorum institutis videbitur repugnantius, quam hæ Senecæ tragœdiæ stoicæ, usque ad hoc tempus, habitæ.

Zeno et qui eum ducem secuti fuerunt hoc ante omnia præceperunt hominibus qui sapientes vellent fieri, ut rationi convenienter viverent, ejusque imperio ac potestati libidinem, iram, aliasque animi cupidines submitterent: rationem enim cum Deo, cupidines cum belluis nobis esse communes. Itaque Epictetus, Antoninus, ceterique magni viri, de quibus merito Porticus gloriatur, continentiæ, patientiæ, aliarumque omnium virtutum egregia specimina fuerunt. Porro, pleræque poetæ nostri personæ, non modo cæcos non frenant animi impetus, sed eis efferuntur; debacchantur ac furunt, nedum rationi obtemperent; ita ut Senecam dicas credidisse homines eo esse majores quo magis a vera hominum natura recedant, et non in divina, sed in

belluina parte nostri nostram omnem sitam esse præstantiam. Apud hunc auctorem frustra quæras illa rationis et appetitus certamina, quibus, in Cornelii nostri fabulis mirum in modum detinemur, et spectaculum illud, quod Deo dignissimum esse stoici dictitabant, virum scilicet responsantem cupidinibus et cum fortuna colluctantem.

Num stoicum aliquid Medeam istam in se habere contendes, si modo ejus sensus et facta ponderaveris, quæ, animi impotens, omnia humana divinaque jura permiscet, et, ut pœnas a conjuge repetat, suos trucidat natos? Quid magis stoicis his effatis contrarium, esse ulciscendi et puniendi modum, et nihil laudabilius esse placabilitate et clementia?[1] In Medea magna quidem est vis, sed ea vis scilicet, quam Flaccus consilii expertem vocat, et quæ vis stoica nequaquam nominanda est. Stoici enim, non in cupidinis impetu, sed in voluntatis constantia vim animi ponunt, et, hanc fortitudinem, illam audaciam et immanitatem potius appellant, cujus nobiscum belluæ quoque participes esse solent. Quo nomine quid fero Medeæ furori convenientius, de qua poeta ipse :

Quænam cruenta *Mænas*
Præceps amore sævo
Rapitur? quod *impotenti*
Facinus parat *furore*[2]?
. . . .
Huc fert pedes et illuc.

[1] Cic. *De Off.*, l. I, c. 11, 25.
[2] Sen. *Med.*, v. 847.

Ut *tigris* orba gnatis,
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Frenare nescit iras
Medea, *non amores*[1].

Hic jam totus homo elapsus est, et sola superest bellua. Ubi enim sibi temperare aliquis desierit, ibi humanæ finis, belluinæ initium vitæ. Itaque Marcus Tullius, quum Attico suo gratulatur, quod gravius non commoveatur rebus adversis, hoc illi ejus adjudicat virtuti quam nominat humanitatem[2].

Idem de Atreo dixerim, qui incredibilem, quam expromere videtur, adeo non expromit animi firmitatem, ut contra cupidinibus vincatur, earumque rapiatur impetu potius quam quidquam rapiat :

Fateor, tumultus pectora attonitus quatit,
Penitusque *volvit: rapior*, et quo, nescio,
Sed *rapior*[3].

Non hominum dignitatem et excellentiam, more stoicorum, metitur virtute; sed eos, quo majora admiserunt scelera, eo majores arbitratur :

Nescio quid majus, et solito amplius,
Supraque fines moris humani timet,
Instatque pigris manibus : haud quid sit scio,
Sed grande quiddam est[4].

Hoc tibi concedo, dicet fortasse quispiam. Personæ, quas nominavisti, stoica quasi nota nequaquam signatæ

[1] Sen. *Med.*, v. 860.
[2] Cic. *De Sen.*, cap. 1.
[3] Sen. *Thyest.*, v. 261.
[4] *Idem*, v. 268.

fuerunt; sed, iisdem in fabulis, personæ sunt aliæ, Dejaniram dico et Herculem', de quibus longe aliter existimandum est: illa enim, postquam grandia locuta est, semetipsam occidit; hic autem jamjam moriturus fictam et simulatam ostentat constantiam. De priore persona quæ respondeam jam in promptu habeo. Cum enim Dejanira, in tragœdia Sophoclis, multo æquiore animo et sui potentiore quam hæc nostra Dejanira fuerit, et se quoque occiderit, si hæc stoica dicenda sit, non video cur illa quoque gregi Zenonis non adscriberetur. Quod ad Herculem attinet, eum neque a lacrimis, neque a questibus antea abstinuisse quis ignorat? Præterea, si placidus ipso in rogo consumptus est; hoc ideo potuit fieri, quod jam fere omnes humanos sensus exuerat, et pene omnino evaserat deus.

Hic mihi quisquam nominat Astyanacta, magnam Porticus spem, ut lepide dictum est[1], si fata aspera tulissent, et Polyxenam illam quæ tanto impetu morti occurrit. Quoties enim utrum Porticus litteris utilitati fuerit necne, quæsitum est, toties hæ duæ personæ ut vinceretur eam scholam funestam fuisse inductæ fuerunt. Quæ argumenta diligenter expendamus, et ea utrum magni, an parvi momenti fuerint, ad eam rem de qua loquimur dijudicandam, videamus.

Primum Astyanax et Polyxena non mihi germanissimi videntur esse stoici. Quum enim ille semper alias silet, hoc ei tantum alicubi verbum excidit, dum tre-

[1] M. Nisard. *Études sur les poëtes latins de la décadence*, t. Ier.

pidus in matris gremium se recipit: « Miserere, mater, » quod a stoico longissime abhorret. Hæc autem, non modo stoicam illam non servat animi æquabilitatem, et non cohibet omnes pectoris motus; sed *irato impetu* dicitur cecidisse, quod stoicorum, credo, minime decet discipulam; nam stoici, inquit Tullius, « omnio irasci nesciunt. »

Deinde, cum Astyanax et Polyxena parvum admodum in fabula obtineant locum, et fere mutæ sint personæ, qui aut quales fuerint non multum certe refert; nam, etiamsi eorum mentes penitus essent stoicorum placitis imbutæ, nihil inde de Senecæ personis, in universum consideratis, jure colligeretur.

Denique, si forsan aut homines, aut feminæ in Senecæ tragœdiis reperirentur, quibus humana major esset virtus, hoc mihi non tam stoicorum disciplinæ quam auctoris ingenio, semper grandiora captanti, videretur esse adjudicandum. Cum enim homines verbis amplificare soleat, mirum certe foret, si semper vitia, virtutes nunquam, in majus dicendo extulisset.

Non moribus, sed dictis pleræque poetæ nostri personæ stoicas se præbent. Quæ autem dicta, quanquam personæ cuique minime convenientia, pulchra aliquando sunt : quippe quæ veros et sinceros scriptoris exprimant sensus, et ideo paulo minus affectatam præ se ferant jucunditatem. Sic Voltarii nostri nulli luculentiores feruntur versus, quam quos de Neutonianis inventis et quos de omni numinis cultu tolerando scripsit, quia tum sine fuco et fallaciis quæ revera sentiebat edidit.

Hæc Agamemnonis verba stoica quadam constantia mihi videntur insignia :

Quo plura possis, plura patienter feras.
. . : . . . .
Violenta nemo imperia continuit diu :
Moderata durant. Quoque fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet [1].

Dissimiles quidem numero, sed sententia fere similes Seneca condidit versus, cum stoicorum illum regem in *Thyeste* descripsit. Sed satis mirari nequeo in scenam ab eo inductos fuisse homines, Atrei æquales, et semiferos, talia canentes, non secus ac si, Zenone magistro, philosophiæ operam dedissent. Hæc dum lego, poetam illum recentem, si is modo poeta sit nominandus, mihi legere videor, qui, ineunte octavo decimo sæculo, floruit, et qui, Homerum cum interpretaretur, Græcos omnes una voce faciebat clamantes : « Quid non vincet? Semetipsum vicit. » Eodem prope modo in Seneca chorus exclamat, eum esse vere regem :

Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabiiis favor
Vulgi præcipitis movet,
. . . .
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia :
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori [2]

[1] Sen. *Troas.* v. 252.
[2] *Idem*, *Thyest.*, v. 351.

Poeta non minus, sive famam, sive historiam negligit et dedignatur, quum nobis ostendit Troadas, alia in fabula, mortem, ut malorum finem, avida spe præsumentes :

> Heu! quam dulce malum mortalibus additum,
> Vitæ dirus amor, cum pateat malis
> Effugium, et miseros libera mors vocet,
> Portus æterna placidus quiete [1]!

Tali hoc sensu sane afficiebantur Indi qui, cooperti miseriis, illum quem appellabant *Nirvanam*, votis et precibus petebant, et stoici romani qui amissam lugebant libertatem et omnem bonam artem in exsilium actam, nec quidquam quod ipsis dignum foret in vita videbant. Sed homines nequaquam Trojanis temporibus ita sensisse, ipsum Homerum testem habemus, qui Achillem mortuum depingit tam vehementi vitæ desiderio laborantem.

Idem certe dicendum est de illa jam celeberrima et plane stoica scena, in qua Œdipus et Antigone quærunt utrum nostrum unusquisque sui ipsius juris sit, et possit, salvo officio, sibi consciscere mortem, necne. Profecto homines qui in primis mundi ætatibus vixerunt, et qui sensu magis valuerunt quam ratione, ut res cæteras, sic ipsam mortem, cæco impetu potius quam consilio obibant. Postquam autem humana jam adolevisset intelligentia et res omnes examinandas et ponderandas sibi sumpsisset, mors voluntaria, res, si qua fuit unquam, capitalis, in disceptationem quoque

[1] Sen *Agam.*, v. 579.

debuit vocari. Cum enim de minimis deliberetur, de maximis non deliberari perabsurdum est. Itaque philosophus inter recentes præclarus, Russellus noster, potuit, incolumi fama, in fabulosam narrationem duas inducere personas, utrum homini tribui an negari deceat jus sibi manus inferendi accurate perquirentes. Hæc igitur Senecæ scena non tam ideo mihi videtur vituperanda, quod sit omnis expers veritatis et rationi omnino repugnet, quam quod est historiæ minime consentanea parumque apta animis audientium commovendis.

Sunt aliæ in Senecæ tragœdiis sententiæ, ut vere Porticu dignæ et significantibus verbis enuntiatæ, ita personis, tempori et loco maxime disconvenientes.

Clytemnestra, paulo antequam securi medium dividat maritum, de venia peccatis tribuenda mirum in modum loquitur:

> . . . Sera nunquam est ad bonos mores via.
> Quem pœnitet peccasse, pene est innocens[1].
> . . . .
> Det ille veniam facile, cui venia est opus[2].

Audire credas Ciceronem sic stoicissantem: « Haud scio an satis sit eum, qui lacessierit, injuriæ suæ pœnitere[3], » aut ipsum Christum de muliere in adulterio deprehensa Pharisæis dicentem: « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat[4]. »

[1] Sen. *Agam.*, v. 242.
[2] *Idem*, v. 267.
[3] Cic. *De off.*, l. 1, c. 11.
[4] *Evang. sec. Joan.*, c. VIII.

Medea ista quæ, quum scelere scelus jam cumulavisset, novissime suos ipsius trucidavit natos, Tyndaridæ non concedit, et de justitiæ et benignitatis laude multa magnaque prædicat:

> Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
> Æquum licet statuerit, haud æquus fuit [1].
> . . . . Hoc reges habent
> Magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies,
> Prodesse miseris, supplices fido lare
> Protegere [2].

Ipsa Phædræ nutrix, quæ, dominæ libidini turpiter morem gerens, Hippolytum corruptelarum illecebris irretire conata est, eumque, falsi criminis accusatum, mox in exitium traxit, cum regina illa de conscientiæ stimulis sermonem habet, quum ab omni nutrice mirum, tum ab ea maxime quam ab ista pessima agendi ratione nulla prohibet religio:

> Quid pœna præsens, conscientiæ mentis pavor,
> Animusque culpa plenus, et semet timens?
> Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit [3].

Paulo minus absone Chorus, dum ea canit quibus Hispanus poeta Americam, tanto post a suis inventam, quasi prænuntiat et vaticinatur:

> . . . . . . Venient annis
> Sæcula seris, quibus Oceanus
> Vincula rerum laxet, et ingens
> Pateat tellus, Tiphysque novos
> Detegat orbes; nec sit terris ultima Thule [4].

[1] *Med.*, v. 199.
[2] *Med.*, v. 222.
[3] *Hipp.*, v. 161.
[4] *Med.*, v. 374.

Ex his omnibus constat, quod jam ab initio contendimus, auctorem nostrum, prout personarum aut mores aut dicta attenderis, aut nequaquam aut omnino stoicum jure dici posse.

CAPUT XIX.

DE LUCANO STOICORUM DISCIPULO.

Senecæ et Lucani scribendi genus consideranti, et quomodo ac quatenus hi duo poetæ stoici fuerint mecum reputanti, incredibile est quanta inter eos similitudo esse videatur. Uterque enim, cum personæ cuique tribuit impotentiorem quam æquiorem animum et rhetorum officinas potius quam stoicorum scholas redolentem, eorumdem stoicorum tamen insignes quosdam usurpavit locos, qui utrum magis versus exornaverint, an versibus exornati fuerint incertum est et injudicatum relinquo.

Quid enim aut institutis stoicorum, qui semper naturam ducem habebant, inimicius, aut fucato dicendi generi, quo rhetores uti solebant, propinquius, quam quod Marius, auctore Lucano, sua signa nulli commisit, qui jam sceleribus non esset famosus? Quid quod ipsum Cæsarem, minus certe impetu et ira quam consilio et ratione rebus gerendis assuetum, idem Lucanus dixit in eam efferatum fuisse rabiem, ut, horribili civium edita strage, quam ulla sine pugna, rerum potiri maluerit?

Cum autem, non in pejus, sed in melius res auget

poeta, tum utrum stoicos an rhetores potissimum duces sequatur judicatu difficile est. Cum omnia quæcunque egregie fuerunt acta in illo certamine, quod inter Massilienses et Romanos exortum est, describit, juvenem memorat qui, manibus ambabus vicissim amputatis, ipso trunco suos protegere gaudet, et tandem hostilem in navem saltu emicat, ipsa morte Romanis damno futurus [1]. Hoc, fateor, rhetorum potius quam stoicorum adscribam exemplo et auctoritati, nisi forte Justinum rhetorem, eadem prope de Cynegira referentem, contendas stoice quoque sensisse.

Quid dicam de Vulteio illo, qui, in quarto Pharsaliæ libro, tanta cum fortitudine animam effundit? Eum, ut non plane stoicum, quippe qui pugnet contra rempublicam, ita aliquantum stoicum tamen crediderim; nam, stoicorum more, ad libertatem retinendam, sibimetipsi vitam eripit, commilitonesque ad id adducit, ut tam magnum sequantur exemplum [2].

Inter stoicos quoque utrum sit annumerandus necne dubito hic Metellus qui, cum Cæsar, omnia magistratuum et legum munia, nullo adversante, sibi vindicavisset, et eo venisset furoris, ut Saturni templi fores effringere vellet, et publicas opes rapere, impio legum violatori animose obstitit, atque *viribus an possint obsistere jura* expertus est [3]. Quoquo modo se ea res habeat, hic certe sub poeta philosophus latet, et apud Home-

[1] *Phars.*, l. III, v. 622.
[2] *Phars.*, l. IV, v. 575.
[3] *Phars.*, l. III, v. 112.

rum versus nullos reperias quibus sacer justitiæ amor sic erumpat.

Sed ex omnibus viris quos Lucani celebravit musa, nullus est qui ad illum stoicorum sapientem propius similitudine accesserit, quam Cato, qualis a nostro poeta carminibus depictus fuit. Tanto igitur proposito exemplo, quid commodi aut incommodi litteris latinis stoica attulerit disciplina, videamus.

Duo quæ jam antea apud stoicos in universum reprehendenda animadvertimus, aliquid scilicet æquo grandius, adjuncta quadam jactantia, et humani cujusque teneri affectus contemptum, in hoc quoque præstantissimo stoicæ virtutis specimine cernere est. Vix Catonem assensu comprobo miseros milites per deserta Libyæ trahentem, ut plane pateat egregios viros non indecore fugere potuisse; et nescio quid durum et inflatum habere mihi videntur ea quibus militem quemdam alloquitur, dum aquam ab eo allatam dedignatur et repellit[1]. Simpliciter negare fuisset, meo quidem judicio, sublimius.

Non parum quoque Catoni succenseo, quod tam parvi habuerit conjugiale fœdus, ut alteri viro suam uxorem, non secus atque equo armentalem equam, conjungendam tradiderit, eamdemque ad penates redeuntem tam frigide exceperit, quasi publicarum rerum cura alios omnes, etiam sanctissimos, sensus exstinguere et opprimere deberet. Hic delicatissimam animi partem ignoravisse Porticus mihi videtur et nobilissi-

[1] *Phars.*, l. IX, v. 505.

mos affectus repudiavisse. O ubi dulces amantium et redamantium complexus, et mares animi tenero amore commoti, et viriles vultus lacrymis aliquando madentes! Ubi Hector et Andromache, Polyeuctus et Paulina, aliique clari conjuges, qui non sine magno animi cruciatu dissociati unquam fuerunt!

Sed si has Catoni ignoverimus maculas, quot et quanta, non jam adumbrata, sed pene expressa perfectæ cumulatæque virtutis signa in hoc viro inveniemus! Dum Homericus Achilles, robore et agilitate præsertim insignis, nihil fere nisi corporis bona jactat, Cato ille, quem describit Lucanus, justitiæ libertatisque amore in primis conspicuus, nihil magis quam animi bona diligit et amplectitur :

. . . . Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo [1].

Egregius ille vir, in omni Lucani opere, sibi constat. Cum omnia virtuti censeat posthabenda, nec unquam successu crescere honestum, si Pompeium mortuum laudabit, non ducis hujus victorias et triumphos recensebit, nec pone currum victos reges et gentes domitas ostentabit, sed quantum fuerit justitiæ tenax simpliciter exponet, et quomodo, plebe servire sibi parata, vixerit privatus. Quin etiam, Pompeio dabit honori quod forsan, heroicis temporibus, ei dedecori fuisset. His enim verbis *nil belli jure poposcit* omnino con-

[1] *Phars.*, l. II, v. 380.

traria sunt Horatii nota de Achille verba: *nil non arroget armis* [1].

Tota mens Catonis et indomita vis animi multo etiam vividius exhibetur oratione quam ille vir apud milites habet, jamjam, Pompeio mortuo, e castris discessuros, quasi pro homine quopiam, non pro toto hominum genere pugnavissent. Lucanus tanto viro concionem tribuit, cui nec apud Homerum, nec apud Virgilium, nec apud poetam ullum, qui antea fuerit, quidquam simile reperiatur, et sententias ære perenniores versibus concludit quos nulla unquam delere poterit vetustas. Omnia nova, philosophica, splendida:

> Ergo pari voto gessisti bella, juventus,
> Tu quoque pro dominis; et Pompeiana fuisti,
> Non romana manus? Quod non in regna laboras,
> Quod tibi, non ducibus, vivis, morerisque; quod orbem
> Adquiris nulli, quod jam tibi vincere tutum est;
> Bella fugis, quærisque jugum, cervice vacante,
> Et nescis sine rege pati! . . . .
> O famuli turpes, domini post fata prioris,
> Itis ad hæredem [2]. . . . .

Hic vere liberum agnosco virum, et cujus nomen non hominis cujuslibet, sed jam ipsius Libertatis nomen esse videatur, quem Marcus Tullius mori potius debuisse dixit, quam tyranni vultum adspicere [3].

Si a personis quas in scenam induxit Lucanus, ad ea quæ de divinis et humanis rebus ipse senserit, nostram

[1] *Phars.*, l. IX, v. 190.
[2] *Phars.*, l. IX, v. 256.
[3] Cic. *De Off.*, l. I, c. 31.

deflexerimus orationem, hic majora etiam fortasse quam illic inveniemus, et Zenonem videbimus non parvo adjumento discipulo fuisse.

Auctor noster, ut poetam decet philosophantem, et ea quæ ad mores et instituta spectant curiosius quam bellica facta consectantem, multa seu de divinis, seu de Deo ipso scripsit. Sed hoc fere proprium et peculiare inter poetas habet, quod, dum vulgaribus non adhibet fidem religionibus, eas tamen mirum in modum soleat describere. Earum cærimonias, et sensus quibus homines afficiunt, ita cogitando sibi fingit, ut falsorum numinum aliquantisper sibi videatur esse cultor, et sacra quasi formidine, qua movetur ipse, legentium quoque animos commoveat. Quod ut tibi manifestum fiat, hunc poetam legas velim Massiliensem lucum describentem, quam sedem horrenda obtinebat religio, et videas quam atris coloribus eum depinxerit et nostros quasi ante oculos proposuerit. Vetustæ illæ arbores, jam situ albescentes, umbra tam densa ac continua, informia ac mœsta deorum simulacra, diræ aræ sanguine humano semper imbutæ, nemo est quem non faciant attonitum. Multa prodigia, si non vera, certe pro veris habita, addunt terroribus, ita ut jure dicat Lucanus ipsum sacerdotem accessus pavere, timereque ne luci dominum deprehendat[1].

Sed noster scriptor non is est qui veluti summam rerum partem attingat leviter, neque in earum viscera inspiciat. De animabus ex uno corpore in aliud migrantibus atque artus alios alio in orbe regentibus exi-

[1] *Phars.*, l. III, v. 424.

mie loquitur, et quid hoc dogma ad augendam hominum fortitudinem habeat idoneum egregie ostendit. Ignavi scilicet animi esset cito *rediture parcere vitæ* [1].

Quamvis ex inconsideratis vulgi de Deo opinionibus omnino solutum Lucano sit ingenium, eum libenter dixerim virum religiosissimum esse, si modo hoc nomine virum humana et mortalia despicientem atque æterna ac divina suspicientem intellexeris. Hic sensus, qui, sacris e litteris ortus, Pascalii et Bossuetii in libris quasi vivit et spirat, e Lucani quoque versibus, quos sibi potissimum vindicat Porticus, aliquando erumpit. Lege verba quæ sagæ Thessalæ tribuit et quibus pharsalica innuitur pugna, ac Cæsarum numina irridentur. Hic quantuli poeta noster humana fecerit fastigia videbis. Non vult homines de gloria parvæ vitæ esse sollicitos; nam hora veniet quæ duces omnes misceat. A Cæsare Pompeioque nunc, tanto sanguine effuso,

Quem tumulum Nili, quem Tibridis adluat unda,
Quæritur, et ducibus tantum de funere pugna est [2].

Lucanum quoque contendo esse religiosissimum, quia de religione magna sentit, nec Deo quidquam assignat quod sit tanto numine indignum. Rem cum cupiam dilucidare, verba, quibus Cato Labieno suadenti ut de belli eventu Ammonis oraculum sciscitetur respondet, vix audeo aut proferre, quod notissima, aut prætermittere, quod pulcherrima sunt:

[1] *Phars.*, l. I, v. 454.
[2] *Phars.*, l. VI, v. 810.

Hæremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil facimus non sponte Dei; nec vocibus ullis
Numen eget, dixitque semel nascentibus auctor
Quidquid scire licet. Sterilesne elegit arenas,
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum?
Estne Dei sedes, nisi terra, et pontus, et aer.
Et cœlum et virtus [1].

Deum unum supremumque rebus humanis præsidere credit, qui cuncta, ut stoicis placet, gignit et temperat, ita ut casui cuilibet nullus sit locus, et quæcunque obversantur ante oculos, etiam diversa et repugnantia, inter se vincta et connexa teneantur. Quæ cum ita sint, fabula debet scientiæ cedere locum, atque historia omnis, philosophia duce, renovanda est et in melius immutanda. Pro Pallade, Marte, aliisque numinibus quæ Homerus, ad rem quamque explicandam, solet inducere, naturales quasdam causas, aliis ex causis pendentes, et facta factis aliis generata habemus, quæ homo cogitando comprehendere plus minusve potest. Si forte quæsiveris cur civile bellum apud Romanos exortum fuerit et pristina mutata fuerit disciplina, tibi respondebit Lucanus, omnibus mundi opibus Romam illatis, hinc prodigiosas natas esse cupidines, quæ, velut turbulentissimæ tempestates, in urbem debacchatæ fuerunt, et veterem everterunt civitatis statum; nec id Romæ solum, et illo tempore,

[1] *Phars.*, l. IX, v. 573.
« Mettez ensemble tout ce que les anciens poëtes ont dit des Dieux, ce sont des discours d'enfants en comparaison de ce morceau de Lucain. » (Voltaire. *Dict. philos.*, art. Épopée.)

sed ubique et semper, evenisse, ita ut de omni populo jure dicas quod de populo romano præsertim dictum fuerit [1].

Nihil autem tantum prodest gentibus ad summum virtutis et felicitatis gradum promovendis quam generosa libertatis cura, et ea quam Tullius nominat humani generis caritatem, quarum una ad homines singulos, altera vero ad civilem communitatem potissimum spectat.

Libertatis cura in eo maxime apparet apud Lucanum, quod summa observantia colit antiqua Romæ instituta, quibus jamdudum civium jura protegebantur, et, quibus sublatis, nihil supererit quod unius dominationi possit obsistere. Itaque, dum Romanus senatus Epiri campos peragrat exsul et humili sub tecto habet concilium, noster Lucanus in has erumpit voces quas alius poeta, præmatura quoque præreptus nece [2], novissimo finiente sæculo, fere refert, cum alium, eumque nobiliorem celebrat senatum, in illo jam illustrissimo pileæ ludo, de libertate Gallorum deliberantem:

. . . . . . Peregrina ac sordida sedes
Romanos cepit proceres; secretaque rerum
Hospes in externis audivit Curia tectis!
Nam quis castra vocet tot strictas jure secures,
Tot fasces? docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse [3].

[1] *Phars.*, l. I, v. 573.
[2] André Chénier. *Le jeu de paume.*
[3] *Phars.*, l. V, v. 9.

Cum Cæsar ipse sibi sumpsit dictaturam et consulatum, quos honores quondam bene meritis de patria civibus liberi populi suffragia solebant decernere, tum poeta luget oppressam libertatem venerandasque potestates pollutas et jam ad nihilum redactas. Nam, ab eo tempore, magistratus et imperia, quæ, florente republica, in tanto fuerant pretio, jam principibus ludibrio habita, ad deterrimum aut imperitissimum quemque delata fuerunt, et rebus abolitis, sola rerum vocabula permansere[1]. Voces quibus Romani dominos mentiuntur, inquit Lucanus, hæc ætas prima reperit, consulatumque præbuit deridendum, quippe qui ideo tantum fuerit servatus, ut suum anno cuique foret nomen[2].

Tandem, quum discordiis civilibus exterrita libertas, Pharsalicam post cladem, Italum solum deseruit, vati nostro excidunt acerbi iidemque eloquentes questus. Brutos fere exsecratur, qui libertatem et consulatum instituerant Romæque bona dederant olim peritura, et quorum desiderio æternum cruciaretur, cum cæteri populi, nihil tale experti, sua sorte contenti, placidum ævum peragerent:

. . . Fugiens civile nefas, redituraque nunquam
Libertas, ultra Tigrim, Rhenumque recessit,
Ac, toties nobis jugulo quæsita, negatur,
Germanum Scythicumque bonum, nec respicit ultra
Ausoniam. . . . .
De Brutis, Fortuna, queror. Quid tempora legum
Egimus, aut annos a Consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,

[1] « *Eadem magistratuum vocabula.* » (Tac. *Ann.*, l. I, c. 3.)
[2] *Phars.*, l. V, v. 383.

Quam sub perpetuis tenuerunt fata tyrannis!
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
Quos servire pudet [1].

Stoicis placebat homines hominum causa esse natos, et alios aliis præbere operam debere; aliquem vero alicui nocere aut ei detrahere aliquid, magis esse contra naturam volebant quam quidquam, vel acerbissimum, semetipsum pati. Existimabant enim civilem quamdam mortales efficere inter se societatem, in qua alii aliis, ut fratres fratribus, prodesse omni modo conarentur, quam qui dirimeret, is non solum scelestus, sed etiam impius esset habendus. Inde admirabilia illa præcepta de amore quo homo homini amandus sit, quibus philosophi novissimi sæculi nihil sublimius excogitare potuerunt. Quos eosdem sensus Lucanus non semel tentavit versibus, iisque egregiis, exprimere:

Nunc ades, æterno complectens omnia nexu,
O rerum, mixtique salus, concordia, mundi,
Et *sacer orbis amor* [2]!

Alias Catonem inducit vividius dicentem:

Hic redimat sanguis populos; hac cæde luatur
Quidquid romani meruerunt pendere mores [3].

Mox, post istam, quam sæpissime detestatur, Pharsalicam cædem, impios Cæsaris milites in fratrum aut parentum occisorum toris stratos, agrestes homines et rusticos splendida principum civitatis cubilia corpori-

[1] *Phars.*, l. VII, v. 434.
[2] *Phars.*, l. IV, v. 189.
[3] *Phars.*, l. II, v. 312.

bus prementes nobis ostendit, et eximie describit horrenda somnia, quibus, post tantum in genus humanum admissum scelus, exagitantur[1].

Nunquam, credo, Homerus, aut alius quisquam poeta, apud veteres, tam miserabilibus verbis tristem hominum sortem prosecutus est, aut eorum cruenta certamina tam acriter fuit exsecratus. Nihil his carminibus simile ante novissimum sæculum invenias, in quo is, quem Lucanus *orbis sacrum amorem* nominat, et quem primi stoici prædicaverant, hominum rursus invasit animos, et litteris novam quamdam atque inauditam vim addidit. Etsi timeam ne mihi vitio detur, quod nimis multa cum e cæteris poetis stoicis, tum præsertim e Lucano excerpserim, hos quoque proferam versus quibus libertatis cura et humani generis caritas, quos sensus jam antea dixi maxime stoicos, simul exprimuntur. Cogitanti cuilibet quanta et quam longa servitute oppressus gemuerit populus romanus, hæc verba, non solum verissima videbuntur, sed etiam nescio qua dira pulchritudine splendida:

Majus in hac acie, quam quod sua sæcula ferrent,
Vulnus habent populi; plus est quam vita, salusque,
Quod perit; in totum mundi prosternimur ævum;
Vincimur his gladiis omnis, quæ serviat, ætas.
Proxima quid soboles, aut quid meruere nepotes
In regnum nasci?. . . . .
. . . . Post prælia natis
Si dominum, fortuna, dabas, et bella dedisses [2]!

[1] *Phars.*, l. VII, v. 764.
[2] *Phars.*, l. VII, v. 638.

CONCLUSIO.

Ex his omnibus colligendum est, ut opinor, stoicos nequaquam poesim romanam inclinavisse, et in eos perperam collata fuisse vitia quæ litteras jam tum senescentes invaserant. Imo, quum omnia fere dissoluta in pejus ruerent et dilaberentur, hæc secta, ad tempus, poeticum aluit ac sustinuit spiritum; quippe quæ ingenia unice verbis intenta ad res converterit et hominum mentibus atque animis valentiores præbuerit cibos. Manilii, Persii, Juvenalis, Lucani evolve et excute opera; nihil ibi iis locis comparandum reperies, quos ut suos Porticus sibi jure vindicat; et quicunque versus disciplinam stoicam redolentes ex horum poetarum scriptis detraheret, hunc eis fatebere non resarciendum allaturum esse detrimentum.

Cuncta igitur in stoicorum historia sibi constant, nec quidquam in ea videas quod cæteris discrepet et disconveniat. Non solum enim de moribus et de legibus, quod nemo fere vocavit in dubium, sed etiam de litteris bene meruerunt. Qui, hominibus perditissimis reipublicæ gubernacula tractantibus, inviolatam servaverunt humanam dignitatem, atque iniquas Romanorum leges ad rectæ rationis normam ita correxerunt, ut eæ æterna ipsius rationis decreta nominarentur, iidem, quum iis omnibus ortum dedere quæ a Tullio in illo *De Officiis* libro et a Tacito in *Annalibus* eloquenter ac divinitus dicta fuerunt, tum de Deo et de

moribus multa et magnifica, quæ protulimus et dilaudavimus, poetis romanis exornanda suppeditavere. Cogitanti igitur quam crasso aere, quam uliginoso quasi solo adoleverit stoicorum disciplina, et quam uberes ac varios ediderit fructus, celeberrima recentioris scriptoris[1] verba latius patere quam ipse forsan existimaverit mihi videntur, naturam humanam videlicet insolitis nixibus ex alvo profudisse admirabilem illam sectam, iis plantis similem, quas tellus, caliginosis in regionibus, ex humo aliquando gignit.

Quin etiam, Porticus fata angustis veterum temporum terminis non fuerunt circumscripta, sed apud recentes aliis sub conditionibus iterata sunt. Ut Grotium prætercam de jure belli et pacis, ex Zenonis institutis, scribentem, et Kantium stoicorum præcepta de moribus restituentem, Cornelius noster, ut qui Seneca et Lucano mirifice delectatus fuerit, juxta eorum placita suas condidit tragœdias. Quot enim personas in his præclaris inducit operibus appetitum rationi, summa non sine contentione, subjicientes, et audientibus non misericordiam vanam et sapiente indignam, sed fructuosam et vere stoicam admirationem moventes! Ita hoc tragœdiarum genus, novum, inauditum, Græcorum tragœdiæ haud parum dissimile, quod a se inventum non immerito prædicant recentes, e stoico fonte cecidit!

Præterea, his argumentis atque exemplis usus, fortiter affirmaverim (quod non solum ad poetas stoicis-

[1] Montesquieu. *Grandeur et décadence des Romains*, ch. XVI.

santes, sed etiam ad poetas quolibet modo philosophantes spectat) poetam egregie esse acturum qui ea quæ senserit et quo modo senserit exprimet, ac totam mentem in chartam nobili quadam libertate quasi effundet. Itaque poeta philosophari solitus et versatus inter homines philosophari solitos, philosophica, me judice, condat carmina. Ingenuus enim et simplex animus non minus a poeta quam a philosopho requiritur; nec fieri potest, ut is aliquid scribat posteris dignum, qui aliud mente cogitaverit, aliud in ore habuerit, nedum veritatis, non secus ac dei alicujus, amore rapiatur.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VI idus septembr.
an. MDCCCLXII,
Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,
J. VICT. LE CLERC.

Permis d'imprimer,
pour le vice-recteur,
l'inspecteur de l'Académie,
C. ROLLIER.

Strasbourg, typographie de G. Silbermann.